AD

LUCRETII POËMATUM LIBROS TRES PRIORES.

DISSERTATIO CRITICA,

CONTINENS

ANNOTATIONEM

AD

LUCRETII POËMATUM LIBROS TRES PRIORES,

QUAM,

DEO FAVENTE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

GUILIELMI MUURLING,

THEOL. DOCT. ET IN FACULT. THEOL. PROFESS. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA

RITE AC LEGITIME OBTINENDIS,

PUBLICO OMNIUM EXAMINI OFFERT

JACOBUS ROOS,

GRONINGANUS.

D. XXV Octobris, anni MDCCCXLVII, horâ XII.

GRONINGAE,
Apud A. OOMKENS, J. FIL.,
Academiae Typographum.

1847

22

PATRI CARISSIMO

ATQUE

HENRICI THEODORI RÒSKES,

ALTERIUS PATRIS,

MEMORIAE

SACRUM.

PRO PRAEFATIONE.

Quum et ad nimia, eheu! hujus opusculi vitia excusanda, et ad gratum erga Viros Clarissimos, Praeceptores aestumatissimos animum testandum, et ad jucundis vitae academicae annis valedicendum, et ad debitum a me venerandis Manibus (triste munus!) honorem solvendum multa jam in praefationis formam redegissem, quae tamen non ex animi sententia mihi cessissent, optime consulturus mihi visus sum, si pagellas, hisce excipiendis paratas, puras intactasque relinquerem.

Benevolos enim lectores me melius forte ex sua humanitate excusaturos esse existimo, quam egomet facere potuissem; malevoli precibus obturatas habent aures, inexorabiles acres; animi vero sensus publice exprimere, nisi bene, non juvat, ne tritis verbis evulgem ea, quae, pro sanctissimis mihi habita, in intimis pectoris penetralibus sunt recondita.

Attamen ex stipulatu reus forem, nisi vos, **Μουσείου** *socii, commemorarem, quibuscum unâ tam vitae academicae quam literarum studii dulcedine per plures annos frui contigit. Paucorum Vestrum solitudo pro multis mihi fuit, neque, quod majus exoptem literarum studioso habeo, quam ut in tali societate gratissimum vitae tempus transigat, quale nostrum* **Μουσεῖον** *magna cum voluptate, magna cum utilitate mea sum expertus.*

Valete.

PROLUSIO,

CONTINENS QUAEDAM DE LINGUARUM LITERARUMQUE, IN INSTITUTIONE, USU, ATQUE LUCRETII HOC NOMINE ADHIBENDI COMMENDATIONE.

Inter omnes fere convenit ad adolescentium institutionem, nostro certe tempore, nullam ex rerum divinarum humanarumque ambitu cognitionis materiam ampliora atque tractabilibus animis aptiora praebere commoda, quam linguarum studium accuratum, idque, ab elementis primis usque ad summorum ligatae solutaeque orationis operum lectionem, penitus tractatum. Quum quatuor sint praecipue scopi, quorum attingendorum gratia linguae seu veteres seu recentiores addiscantur; quippe quae, aut ad practicum usum comparentur, ut in mercatura v. c.; aut ad cognoscenda hac illâve lingua scripta opera, uti in liberaliter instituto accidere solet, qui Shaksperii v. c. legendi gratia Anglicam addiscit linguam; vel ad *φιλοσοφώτερον* usum comparandarum inter se linguarum et cujusque legum, uti philologo v. c. contingere solet qui, ut originem maximeque ut etymologiam Graecae linguae interius cognoscat, ad Sanscriticam se linguam applicat, vel, ut linguäe Latinae obscuram investiget originem,

paucis inopibusque linguae Tuscorum, Oscorum, aliorumque fragmentis sedulam navat operam; vel quum denique linguae addiscantur, ut animus erudiatur, explicetur atque acuatur intellectus, ratio, verbo, ut liberaliter institutus homo ad summum, quem humana natura possit attingere, ingenii animique cultum perveniat; nemo non intelligit ad alios horum scopes attingendos alias ineundas esse vias, alias methodos adhibendas. Nec minus tamen in aperto est, si de scopo linguae cujuspiam addiscendae in institutione puerorum in universum quaeritur, ad ultimum horum quatuor finium, ad liberalem nempe vereque humanam institutionem, maxime, prae omnibus ceteris, esse attendendum.

Sed quamvis linguarum studium ab omnibus fere judicatur maxime omnium valere ad emolliendos mores hominisque facultates recte colendas, non aeque tamen omnes consentiunt de linguis, quae nobis, pasilaliam frustra dum! exspectantibus, hunc in finem sint adhibendae, inter quos praesertim haec agitatur lis: utrum lingua Graeca Latinaque sint imbuendi pueri, an vero potius recentiorum vernaculaeque maxime linguarum cognitione; quin etiam nonnulli linguae Sanscriticae, aut Gothicae, aut Arabicae, aut Hebraeae, (quibus mox forte erunt, qui adjungant Sinensem aut Japonensem linguam) primas in institutione adsignant partes.

Non enim omnes calculum suum adjiciunt sententiae viri illustrissimi Goethii, ex intimo pectore optantis: »Möge das Studium der Griechischen und Römischen Literatur immerfort die Basis der höhern Bildung bleiben" in mag. ed. th. I, p. 405, neque iis, quae statim addit: »Chinesische, Indische, Aegyptische Alterthümer sind immer nur Curiositäten, es ist sehr wohlgethan, sich und die Welt damit bekannt zu machen; zu *sittlicher* und *aesthetischer Bildung* aber werden sie uns wenig fruchten" ibidem.

Non hujus certe est loci penitus inquirere in rationes causasque quarum exacte perpensa gravitas linguas veteres et recentiores trutinâ eâdem pensatas examinanti vel extollat vel deprimat.

Duo sunt praesertim, quae a linguarum veterum adversariis seu potius nesciis objiciuntur earum usui in institutione et ob

quae recentiores hisce praeponuntur: nempe *primo*, quia elementa grammatica linguarum veterum adeo sint materiâ ampla cognituque difficilia; atque sic inutile onus sed gravissimum simul, puerorum humeris imponant; *deinde*, quia ratione harum difficultatum incommodorumque pauci neque ii quidem satis pretiosi fructus inde redundent, ingenio antiquitatis nimis a nostris temporibus abhorrenti neque puerorum animis satis perspicue interiusque cognoscendo. Sed, ut brevibus colligam: haec ipsa linguarum antiquarum a nostris aliena natura exercet puerorum animos eorumque facultates acuit atque excitat; difficultas earum promovet accuratam grammaticarum formarum atque ipsarum, quae tractantur rerum clariorem cognitionem, certis fundamentis nixam, nostra saepe aetate nimis eheu! neglectam; sed praeter haec, quae gravissima sunt; ab alia parte spectanti formatio linguarum veterum, utpote in juvenili aetate generis humani versantium, propius quam linguae recentiores, abest a juvenilis animi naturâ qui facilius syntheticas, quae dicuntur, linguas perspicit, quam recentiores, abstractiores, analyticas (1).

Sed accedunt graviora etiam: veterum scripta, ad linguae naturam, quasi syntheticam, percipiendam (2), *grammatice* maxime tractanda (sic enim sua sibi vi sponte juvenum ani-

---

(1) Ex hisce etiam derivandum, quod *per* cognitionem linguarum veterum optimus quisque grammaticus ad vernaculae interiorem intelligentiam ad hoc usque tempus pervenit et semper, ni egregie fallor, pervenire debebit, eadem ratione atque, qui se ipsum noscere velit, *aut* aliorum hominum animos perscrutatus se ipse illis comparat, *aut* ex suis ipsius factis se cognoscit: *noscitur ex factis;* sed nimis stricte Goethe ad quaestionem: *Wie kann man sich selbst kennen lernen?* respondet: *Durch Betrachten niemals, wohl aber durch Handeln.* Werke, Th. I, p. 387.

(2) Linguae veteres, utpote concretae, sunt vividiores, clariores. Praesertim lingua Latina, ut nulla alia, *pellucida* est ut *vestis Coa;* hinc vero etiam minus philosophiae apta. Inter recentiores hac in parte vernaculam nostram proxime ad Latinam accedere puto, neque, opinor, diffitebitur, qui nostrates optimos et recentiores et antiquiores scriptores legerit (ingenium nostri sermonis referentes, non istos Gallizontas, Anglizontas, Germanizontas verbo barbarizontas, utut splendido habitu ornatos) in quibus illa ipsa perspicuitas et quasi vitrea simplicitas, uti in lingua Latina, recte aestumatur. (O patrius decor simplicitasque nativa, in vetusta illa

mos sunt tractura) pulcritudine, simplicitate, veritate quam maxime praecellunt, unde et hodie, de hodiernis scriptoribus, valet praeceptum Horatii: *vos exemplaria Graeca, nocturna versate manu, versate diurna* (1).

Sed nolo resuscitare scintillas litium, a Peirault et Boileau inde usque ad nostram aetatem vehementer agitatarum, sub cinere calido dum ardentes, vix et ne vix quidem ab eruptione prohibendas. Denique: si vere liberalis institutionis ille debet esse scopus, in docendo nempe (virtus addisci nequit) ut ad summum, quousque fieri potest, rerum humanarum divinarumque cognitionis culmen animus humanus evehatur; et, si verum est praesentia oriri ex praeteritis, futura ex praesentibus, praesentia igitur non posse cognosci nisi ex praeteritis (2), unde et futurorum praesagitio pendeat: quis negabit *antiquitatem*, quae dicitur, ex qua, per quam et in quâ, ut verbo dicam, nos, recentiores, facti simus, qui quales quantique sumus et, ut hanc intelligere valeamus, *linguas antiquas*, unde Romanae recentiores linguae originem, magna certe ex parte (ex quanta, adhuc sub judice lis est) repetant, esse pernoscendas (3).

Quixotii Hispanici versione perspicua, a pueris inde menti memori usque obversantia!) Ex hisce patet linguarum veterum campum animo juvenili optimam praebere arenam in qua vires exerceat et ab omni parte explicet.

(1) Fere non opus est, ut moneam me, ut de institutionis superioris scopo quaerentem, vix distinguere, nedum separare philologi officium a literatoris, qui dicitur munere. Sit diversissimum utriusque officium; in supremis gymnasii classibus unus hic est metus, ne alter alterum expellat.

(2) Nisi enim a primis elementis inde intimam cognitionis originem et naturam evolvit ille, qui animorum humanorum Phidias esse cupit, surdo narrat asello fabulas: dies diem docet!

(3) Hisce minime negare volo progressionem generis humani, ab antiquitate inde usque ad nostra tempora: idearum certe et notionum plenitudine et altitudine, intelligentiâ, ipsos rerum fontes penetrante, praestat nostra aetas antiquitati; in animis humanis, non minus quam in lapidicinis, altius perfodit (si nempe ingenium veri appetens et patientia lenta veterum non desint) scrutator hodiernus, quam veterum quicunque; sed ne hoc quidem in omnibus; in aliis vero plurimis, quantum deperdiderimus, dolere magis, quam recuperare suppetit.

Haec, subobscure forte enumerata, digito magis monstrata quam exposita, si vera sunt, patet, additis iis, quae nostrae patriae propria sunt, literarum antiquarum per tota secula refugio, sedi, alteri patriae, quanti momenti sit, ut juventus penitus, sed tardo progressu, prae omnibus aliis, linguarum veterum cognitione imbuatur, ut, hac instructus, fortiter tendere possit ad altiores, historicas aut philosophicas, disciplinas (1).

In docendis autem Graeca Latinaque linguis quamvis firmiter persistendum est, atque earum grammaticae formae ab ovis usque ad mala accurate sunt tractandae, ex scriptis tamen veterum Graecorum et Romanorum, quum omnem fere humanae cognitionis ambitum amplectantur, ea ad diligentem in scholis lectionibusve pertractationem sunt deligenda, quae, *aut* universo hominis liberalis cultui maxime prospiciant, uti, ob pulcritudinem, venustatem, simplicitatem, magnanimitatem, Homerus, Tragici, Pindarus; ob fructus doctrinae uberrimos inde hauriendos, Historici, philosophi; *aut* quae nostrorum temporum opportunitatibus necessitudinibusque explicandis promovendisque maxime inserviant; *aut* denique, quae singulorum juvenum, qui docentur, ingeniis, aliorum aliis, vel officiis, quibus singuli, jam in futurum, in civitate vitaque publica et privata destinentur, sint accommodatissima.

Ex his tribus, quae attendenda sunt, *primum* adeo apertum, cognitum, agnitum est, licet justo saepe minus in institutione practica observatum, neque ea severitate, qua oporteat, ad finem (2) perductum, ut non sit, quod in hac

(1) Practicus praeterea linguae Latinae usus, maxime in scientiis materiam magis, quam formam spectantibus, promovendus esse videtur, ne, inopiâ lectorum, docta scribendi opera voluntas exstinguatur et unâ, ut metuendum, studium atque investigandi ardor. Paullatim enim, vernacule scribentes, a commercio doctae Europae excludimur, quod sentiunt, qui vel Anglice vel Gallice opera edunt, quos tamen miror cur prave Gallice aut Anglice quam Latine scribere malint, me saltem, haec ipsa testor, sequentem non habentes.

(2) Ne quis nimiae me severitatis petulantiorisque in judicando levitatis incuset, tristem, ubivis experiundam, experientiam evoco. Quae tandem

re moneam: *tertium* adeo pendet a privatissimis discipulorum, doctorum, aliorumque, pro singulorum conditione variis, rationibus, individuisque, quae dicuntur, rerum humanarum conglutinationibus, ut de his in singulis opportunitatibus singulis quibusque doctoribus judicium sit ferendum: *secundum* vero, etsi cum temporibus rationibusque vitae publicae et privatae mutatis ipsum mutetur, ita est comparatum, ut, quid universe hac in re sit statuendum, optimo jure quaeri posse videatur.

Duo enim prae omnibus, in hac nostra aetatula, lucent studia: (studio lucri, voluptatis, libidinis ceteris ceterisque, ut patet, excepto) philosophiae nempe et scientiarum naturalium. De his, ne adeptus quidem, profanus, linguae faveo, de illa vero cavere debeo ne quis, male intelligens, pu-

---

est causa cur, paucissimis exceptis, longe plurimi, in quempiam vitae socialis ordinem adsciti, vivant, quasi nunquam Graecorum alphabetum didicissent: cur, literas Graecas Latinasque penitus negligant, quin et earum memoriam saepe obliviscantur, ut, *utilitarii*, (Lobeckio viro celeb. auctore) ad materialem quae dicitur utilitatem plenissimamque memoriae copiam spectantes, recte quaerere *videantur:* „quid nobis cum hisce, quae in usum convertere nequimus, funditusque, in vitam practicam traducti, ex mnemotheca perdimus aut aliis diversissimis obruimus, tactio est? ne liberis nostris maximum onus ingratiis imponamus, quod in nobismet ipsis inutilissimum comperimus;" quaenam, quaeso, istorum malorum praecipua causa est alia, quam, quod, vel in accuratissima optimaque institutione, in eo ipso tempore, quo pulcritudinem veterum classicorum gustare labrorumque tenus dulcedinem potûs, post amara pocula, sentire incipiant, quam si semel, pleno haustu, duxissent dulcedinem, inexpleta siti per totam vitam ex fontibus veterum optima quaeque hausissent — quod, inquam, in eo ipso momento vitaeque quasi crisi „adolescens ingenuus optimaeque spei ad publicas lectiones est dimittendus?" Ex patrum nostrorum aetate supersunt, etiamnum, qui Horatium, Virgilium, quin etiam Graecos aliquos sinu foveant, manibus terant, diligant, intelligant et in usum optimum jucundissimumque convertant. Quotusquisque nostrum, aequalium, simile quid in posterum sibi promittere potest, quid dico; audet, quin vult? An ad unum omnes aiunt? plures certe? — nonnulli, ὀλίγοι τε φίλοιτε? — silent, nec silentii causas indagare libet. Sed praecipua hujus pudendae incuriae atque humi repentis, in tritissima defixae, mentis causa non ex ipsis est orta, sed ex illa festinatione qua praemature e scholis dimittuntur, Sisyphi ad instar, quum in eo sunt, ut difficultates et fastidia jamjam sint trajecturi, ab ipso vertice in lutum barbariei et inscitiae retro devoluti.

tet me ad philosophiam traducere, quod poeseos proprium esse videtur etiamnum: scribimus indocti doctique poemata passim.

Scilicet, nostri temporis studium philosophiae definio ut illud studium, quo plurimus, omni fide, auctoritate, verisimilitudine, verbo ut dicam, omni credito (penes mercatores solos et vel penes hos vix ac ne vix quidem permanente) rejectis, haec, ut vera, aliis probare conatur, quae *αὐτῷ καθ' ἑαυτόν*, ut Nestor apud Lapithas, inquirenti, vera esse visa sunt, quoque studio alia omnia, sive perspicere nequit, sive impenetrabilia luce putat, tanquam falsa antiquasque fabulas incredulus odit. Ut serio loquar in re, si qua alia, seriâ: Permulti nostro tempore (quod de plurimis *studiosis*, qui nempe, non crassa Minerva nati, cognoscendi veri studio feruntur, affirmare fère ausim) religione, necessario fide nixa, fere omni rejectâ, haec tantum probant, quae *scire* et in quibus, *ἐπιπόλαιοι*, *philosophari* posse sibi videntur. Attigisse, quae mera sunt *nota arcana*, sufficit. Hinc patet quanti sit momenti, ut, quatenus inexplicatus puerorum animus patitur, a teneris inde, veris, claris elementariisque notionibus de natura rerum hominisque imbuantur mentes; provectioribus jam praecipuae, quas capere possint juvenes, philosophorum de hisce omnibus sententiae proponantur a doctore, probentur aut rejiciantur, ut ita juvenes, difficultates talium inquisitionum perspicientes, neque se ipsi dum adeo cultos atque evectos sentientes ut in hoc rerum, sententiarum, verorum falsorumque inextricabili fere errore de summis quibusque tuto judicare possint, ut haec, inquam, sentientes juvenes a temeritate Icari abstineant neque cuivis magni hiatus promissori, modo speciosa, quae intelligere sibi videantur, proferat, se tradentes, *et* veritatis viam, per totam saepe vitam, relinquant, *et* ipsam vitam miseram sibi ad mortem usque parent, in hoc uno salutem ponentes, quod nullam salutem ex desperatione sibi superesse sperent. Se ipsum quisque concutiat, velis, quibus internam animi conditionem vulgo tegit, ne susque deque vertatur respublica, abjectis.

Hunc autem in finem, praeter logicam, quae optime in

superioribus gymnasii classibus potest doceri (1), systema quoddam philosophiae, nedum philosophicas exercitationes, non posse adhiberi certissimum est.

Neque enim tantam materiam, neque tantam cogitandi perfectionem sibi, in gymnasio versantes, juvenes vel acuti compararunt, quanta cognitionis copia, quantum cogitandi acumen requiritur in eo, qui sapere, non delirare velit in philosophia. Si ergo, ut persuasum mihi habeo, opus est, ut jam in gymnasio juvenes, duce perito doctore, praecipuas illas de philosophia opiniones, quae in vita sociali animos agitant, cognoscant; scriptores philosophos veterum optimas talibus philosophematum experimentis et speciminibus opportunitates, in primis Platonem et Ciceronem, *et* jam praebuisse *et* in posterum praebituros esse quisque videt.

Sed accedit aliud non parvi momenti.

Quantos inde a fine maxime praeteriti saeculi progressus fecerint, et in theoria et maxime in praxi, scientiae, quae in genere dicuntur naturales, adeo est expertum, ut dixisse sufficiat. Propterea nemini, liberaliter instituto, plane ignotae debent esse hae scientiae. Horum elementa jam in scholis sunt jacienda et praesertim quidem iis, quorum studia, ut in futuris jurisconsultis, theologis, literarum doctoribus accidit, magis ab hisce scientiis sunt aliena futura.

Praeter peculiares autem de harum scientiarum initiis institutiones magis magisque his ipsis annis in patriâ nostra

---

(1) Si enim logica est scientia τοῦ cogitare atque hoc sibi habet propositum, ut formas atque origines cogitandi, et in simplicissimis et in maxime compositis cogitationibus, plene distincteque exponat; atque si in animo quovis humano, vel parum culto, omnes hae formae, syntheses, analyses, jam insunt, idque quidem necessario, ita ut quivis homo, ad juvenilem aetatem provectus, in se ipse habeat materiam, quae ad logicam percipiendam requiritur, patet superiorum certe classium discipulos, diligenti grammaticae pertractatione abstractiorum cogitandi formarum jam non plane ignaros, optime logicam posse doceri, modo ipse, qui docet, perspectam sibi et comparatam habeat scientiam, quam aliis perspicue se tradere posse profitetur. Si universus logicae ambitus nimis amplus esse videatur, prior certe pars tractari potest, quae scilicet de formandis notionibus earumque cum simplicibus repraesentationibus rationibus (judiciis syllogismis) agit.

gymnasiis illatas., optimam haec initia jucundumque captu eorum conspectum tradendi viam iniisse mihi videntur poëtae Anglici, qui in singulis fere naturalis scientiae campis singula composuernnt poëmata didactica (1).

Quantam autem talia poëmata utilitatem habeant atque, prae rigidiore scientiae forma, jucunditatem (in juventute docenda non parvi aestimandam; apud juvenes enim in primis valet illud: trahit sua quemque voluptas) et quaenam via in eorum tractandi ratione doctori sit ineuuda, perspicue et vere exponit, competens sane in his judex, Goethius in fragmento inscripto: über das Lehrgedicht, Werke Th. I, p. 1031 cujus verba ea, quae maxime huc pertinent, addere lubet: »*Dem näher und billig Betrachtenden*," inquit, »*fällt sogleich auf, dass die didaktische Poesie um ihrer Popularität willen schätzbar sey; selbst der begabteste Dichter sollte es sich zur Ehre rechnen, auch irgend ein Capitel des wissenswerthen also behandelt zu haben. Die Engländer haben sehr preiswürdige Arbeiten dieser Art; sie schmeicheln sich in Scherz und Ernst in bei der Menge und bringen sodann in aufklärenden Noten dasjenige zur Sprache, was man wissen musz, um das Gedicht verstehen zu können. Und nun hätte der ästhetisch sittlich historisch unterrichtende Lehrer ein gar schönes Feld, im diesem Capitel Ordnung zu machen, indem er seinen Schülern das Verdienst der vorzüglichsten Gedichte dieser Art nicht nach dem Nutzen ihres Inhalts, sondern nach dem höhern oder geringern Grade ihres poëtischen Werthes zu ordnen und klar zu machen suchte.*"

Haec allata et sequentia proprie dicta sunt de academicis lectionibus, sed eadem, licet forte non tam lato sensu, valent de poëmatis didacticis in superioribus gymnasii classibus tractandis.

---

(1) Haec legenti sponte in mentem veniet elegantissimi nostri Bilderdykii poëmatis didactici: *het buitenleven*, et alius, genere diversi: *ziekte der geleerden*. Plura aliorum hoc genus poemata minus lectu sunt jucunda, ita ut forte scientiam ipsam tractare praestaret ei, qui notitiam hujus sibi vellet comparare aliquam.

Si ergo, quae dicta sunt, brevi comprehendimus, patet duo inter gymnasiorum docendi materiam esse recipienda:

1. Talium scriptorum philosophicorum lectionem, quorum notitia, a doctore perito prudenter recta, explicata, suppleta, examinata et cum aliis comparata, maxime valeat et in posterum praesertim maxime valere possit ad juvenis animum muniendum ab iis periculis et damnis, quae, ex inani philosophandi ratione et in summis quibusque contracto supercilio judicandi temeritate oriunda, et vera et sancta et justa et moralia funditus evertere minantur.

2. Tractationem scientiarum naturalium, quatenus nempe liberalis institutionis justos suos fines habentis ambitus permittat, optime lectioni poematis cujuspiam didactici aestheticae, historicae alligandam.

3. In quibus denique cavendum, ut utraque et inter se quam arctissime conjungantur et quam minime a linguarum veterum diligenti disciplina separentur.

Haec enim tria, in unitatem quandam conjuncta, efficient ut *et* temporis angustiis penuriaeque prospiciatur quod, in tam ampla docendi materia, grave; *et* ne nimium onus discipuli humeris imponatur, quod gravius, ne infelix illud tam late serpens fastidium oriatur; *et* ne vires animi, in diversissima dispersae, magis debilitentur, quam corroborentur, quod gravissimum (vis unita fortior).

Atqui nullum opus sive ex antiquitate sive ex recentioribus temporibus ad hunc scopum feliciter attingendum magis se commendat, quam Lucretii poema didacticum, quo physica Epicuri philosophia exponitur, DE RERUM NATURA. Ergo. —

Longum sit huncce *minorem* fuse probare atque ea, quae, primo obtutu, in superficie haerenti gravissima objici possint, refutare.

Si illa autem, quae dixi, non prorsus indigna esse viris doctis, (si quos scilicet in lectorum solitudine habere huicce prolusioni continget,) videntur, ad quae animum mentemque attendant, melius mihi facturus esse videor si separatim in scriptiuncula singulari huncce syllogismum exponam et defendam, praesertim quum jam longius, quam erat propositum,

in hacce prolusione, quam introductionis vice praemittere libuit, sim moratus.

Praecipua, quae in defensione adhibiturus sum, latent jam in iis quae dicta sunt, eorumque applicatio practica, magis minusve probabilis, pendet a notione doctoris juvenum, quam, alii aliter, sibi animo informare possint.

Ne tamen, supercilia forte contracturos, scientiarum naturalium doctores offendam, monendum mihi est, talem in institutione me velle Lucretium, qui, introductionibus in singulos libros generalioribus, patrio sermone conscriptis praemunitus, annotatione, res singulas tractante, castigatus, in juvenum manus tradatur, uti jam verba Goethii allata ostendunt. Nec tamen separatam, hodiernae physicorum conditioni convenienter tractatam, excludere velim scientiam. cf. p. 9 media.

Quae vero contra afferri possint, maxime spectant ad Lucretii difficultatem Platone v. c. non majorem (1), doctrinae perversitatem, Horatio v. c. non pejorem (2), lascivioremque interdum poëmatis materiam, juvenibus *nostri* temporis, satis amplae in rebus cognitionis, non adeo periculosam (3),

---

(1) Jam Quinctilianus: „Lucretius — difficilis."

(2) Ironice poeta praestantissimus Anglicus Byron in poëmate epico, injuriâ infami, Don Juan, canto I, st. 43:

„*Lucretius irreligion is too strong*
For early stomachs to prove wholesome food." —

(3) Maxime in fine libri quarti, inde in editionibus in usum Delphini, commentariis non instructo; de alio istoc genus editionum more, jocose sed vere, idem Byron ibidem st. 44, 45:

„*Juan was taught from out the best edition*
Expurgated by learned men, who place
Judiciously, from out the schoolboys vision,
The grosser parts: but fearful to deface
Too much their modest bard by this omission,
And pitying sore his mutilated case,
They only add them all in an appendix,
Wich saves, in fact, the trouble of an index; (to the schoolboys nempe)
For there we have them all „at one fell swoop,"
Instead of being scatter'd through the pages;
They stand forth marshal'd in a handsome troop,
To meet the ingenuous youth of future ages." et quae seqq.

quibus denique addere possis textum hic illic corruptum et mutilatum, ad cujus tractationem, ut primarium dissertationis propositum, nunc transsilio, severius multo et cautius curaturus, ne de hac saltem valeat Horatii illud:

Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Adsuitur pannus. —

ANNOTATIO.

AD LIBRUM I.

1, 191 & 2. Forbiger cum Eichstädtio vulgatam lectionem »crescundoque" retinet codd. omnibus reclamantibus, qui exhibent: »crescentesque," nam quod ex Lambini silentio vulgatam edentis concludit, eum in suis codd. (Bertiniano praesertim et Memmiano) invenisse *crescundoque*, vel inde parum probabile est, quod illorum codd. lectiones, subinde a Lambino memoratae, arctissimam horum cum G. Y. Z. demonstrant necessitudinem, unde recte cum Madvigio statuas eos omnes ex uno fonte profluxisse. Nec tamen negari potest quin *crescentesque* (per synesin subintellecto *res*) dure hîc ponatur inter praecedens *omnia* et subsequens *quaeque*, ita ut, quamvis elegantem atque politam compositionis formam qua subsequentes poetae nos alliciant, in Lucretio desideres, talis ruditatis nisi firmis argumentis nixus, nostrum condemnare vix audeas.

Primo obtutu augeri videtur difficultas, quod in versu sequenti pro *quaeque* G. Y. Z. exhibent *quicque*, sed hinc via emendandi probabilis monstratur legendo:

Crescentisque genus servant; ut noscere possis,
Quicque sua de materia grandescere alique.

Explices: omnia servant genus ejus rei, quae paulatim crescit, ita ut perspicere possis quamque rem non ex alienis sed ejusdem generis alimentis augeri.

Sed dubium restat ob lib. 2 vs. 709 » conservare genus crescentia posse videmus." Prius cogitaveram de emendando: *crescunt atque*, *crescunt astque*. Haec verbi *crescunt* repetitio haud sane injucunda auribus acciderel; sed alteram lectionem praefero.

1, 358. Quidni ex Z, qui habet *valerent* (in Y priore scripturâ penitus erasâ) legatur *valeret?*

1, 426. Infelici novandi cupidine abducti, Wakefieldius et Forbiger, neglectâ optimorum codicum auctoritate, dederunt *animos* pro *animi*, quod exhibebant quatuor Lambini codices, inter quos Bertinianus et Memmianus, et G. Y. Z, uti patet ex silentio Havercampi. Supervacaneum est, addere, construendum esse, *animi ratione.* Ita semper Lucretius *confirmare* construit cum accusativo rei, quam persuadere studet, non hominis, cui persuadendum est, 2,178. » Hoc tamen ex ipsis coeli rationibus ausim confirmare." (repet. 5,197 & 8) 1,184 & 5. » Nunc locus est (ut opinor) in his illud quoque rebus Confirmare tibi;" quae poëta, si Forbigeranus esset, scribere debuisset: locus est confirmare *te illo.* 6, 996. » Qua propter bene ubi haec confirmata atque locata Omnia constiterint."

Sensu, quo hic adhibetur, *ratio animi* occurrit in 1,449 » ratione animi, quam quisquam possit apisci."

1, 428. G. Y. Z habent pro » quaquam" » *usquam*," quod arrideat, vel codd. refragantibus. Loci enim adverbium requiritur, et *quaquam* (ratione) minime respondet sequenti (429) *quoquam* (in aliquem locum).

1, 492. *Fero* est in G. Y. Z. imo in omnibus libris praeter unum Brit. I (fere). Z. habet *ferventia*, *a* litera erasâ; de G. Y. silentium tenet Havercamp. Jam patet, cum viro acutissimo, Lambino, legendum esse: *dissiliuntque fero ferventia saxa vapore.* Sic cuique substantivo suum constabit epitheton. Apte *vapos* i. e. calor ignis dicitur *ferus* et *saxa ferventia*, uti aqua fervet igni supposito, sed minus recte ignis, calor ignis dicitur *fervere.* —

6, 441 »ille (turbo) in aquam subito totum se immittit et omne Excitat ingenti sonitu mare fervere cogens." 2, 41, legiones dicuntur *per loca campi fervere* i. e ferri, ardore belli incitatae; et sic locus ipse *fervere* dicitur, quem magna hominum turba frequentat.

1, 518. Male contra optimorum codicum fidem Forbiger, Wakefieldium secutus, exhibuit *tectum* pro *rerum*, quod »quem idoneum sensum praebeat, non videt!" Lambinus verba torquet, explicans: »inane rerum appellari eam partem rerum, quae inane, τὸ κενόν sit;" proxime autem a veritate abest Gifanius interpretans: inane rerum, in quo res geruntur. Sed sensus est: quod queat cohibere, continere inane rerum i. e. inane, quod in rebus inest.

Nemo enim dubitat quin recte dicatur »cavitas corporum;" quidni etiam eodem jure »inane rerum?" Verum sat verborum de re parva, ne lector cum Persio exclamet: quantum est in rebus inane!

1, 558. Recte Faber emendat *dies et*, quam emendationem Creechius firmat collato 1 vs. 234, »infinita aetas consumse ante acta diesque."

1, 561. Expungendum *id* cum G. Y. Z. uti diserte de Y et Z affirmat Havercamp, quod contra Forbigerum moneo. Postulat idem acoluthia sermonis, quae diro anacolutho, *id* immiso, turbaretur. Quamvis enim Lucretium ad severas Grammaticae regulas redigere nolim, nulla tamen idonea caussa esse videtur cur ipsi anacolutha obtrudamus. *Reparari* media significatione, *quod reparationem patitur*, accipiendum videtur.

1, 620 & 1. In notis Forbiger recte *distet* revocavit sed male interpretatus est. Z. versu 620 habet *quod escit;* Gott vs. 621 *aut distet.* In G. quidem, siglarum scripturâ, literae saepe omittuntur (v. g. 1,372 fingunt, G. figunt; 376 inter, G. iter; 447 relinqui, G. reliqui; 470 aliud regionibus, G. alid reg. 476 accendisset, G. accedisset; 501 constent, G. constet; 556 finem, G. fine; 627 constent, G. constat; 634 connexus, G. conexus; 649 eandem G. eadem; 650 haberent, G. et Z. habere; et sic multo plura.) sed raro adduntur, quare haud verisimile

est *aut* in *ut* esse mutandum. Hinc certa est loci scriptura:

Ergo rerum inter summam minimamque quod escit,
Nil erit, aut distet.

Construas: ergo nihil erit quod intersit aut distet inter s. m. rerum. Ex difficiliori hac structura facile corruptio explicatur.

1, 599 & 600 & 1, 626, 632, 668 & 9. Jubentibus G. Y. Z. vs. 599 scribatur: »naturam mores victum motusque parentum." In vs. 600 ex *quoque* legatur *quoique* i. e. *quoniam cuique rei est extremum cacumen tam pusilli corporis, ut nostri sensus non amplius possint discernere;* uti quoad sensum recte explicuit Forbiger.

Magnam interpretandi veramque lectionem eruendi difficultatem habent versus 608 & 9, 626 & 632, inter se comparati. Versu 609 G. Y. Z: *unde queant ullâ.* Negatio tamen requiritur. Sed cum sensu melius convenit legere: *ut nequeant ullâ*, cum Lambino, quam cum Forbigero: *unde queant nullâ.* Loquitur enim de minimis illis partibus quarum inseparabilis conjunctio atomos constituit; hinc patet eas non cum aliâ re cohaerere sed inter se; non partes addititias rei efficere, sed ipsas, conjunctas, *τὴν ἄτομον* constituere: »partes primas imasque." Si ergo legas *unde*, necessario *unde* interpretari debebis, aut: *ita ut a se invicem*, quem sensum, quomodo *unde* recipiat, non capio; aut: *ita ut ab ea re*, quod absurdum, quum nulla alia res sit.

Quomodo autem legendum sit, versu 632, haesi haereoque, et modo in hanc, modo in illam sententiam abeo, subtilissima subtilitate partium quae atomos constituunt, defatigatus. Hoc tamen mihi constat, non posse legi *multis*, utut acutissimus Lambinus aliique eam lectionem defendant. Ut *materia* sit *genitalis*, non solum non nocet, quod multis partibus aucta sit, sed id etiam requiritur. Etenim materia genitalis est ea, quae constat multis corporibus »quorum (ut

ipsius Lucretii verbis utar) abitu aut aditu, mutatoque ordine mutant Naturam res." 678 & 9 cll. 685-7. Si materia non esset composita, non posset novo ordine rerum novas res procreare: ergo non esset genitalis.

Itaque recte Lucretius, et sibi constans, negavit eam materiam quae nullis partibus esset aucta esse genitalem, sed qualis inde evadit sensus totius periodi 629-635? Hic, nisi fallor:

Inde a vs. 616 disputaverat noster contra eos qui in infinitum res dividi posse putabant, in hoc loco vero contra eos, qui non ulterius posse res dividi statuebant, quam ipsa rerum natura nostris sensibus objicit. Haec si vera essent, omnia manerent uti sunt, nec ulla procreatio locum habere posset, quippe quod res simplex formam transmutare nequit.

636-713. In hac parte libri primi Lucretius disputat contra eos qui, auctore Heraclito, *ἐκ πυρὸς τὰ πάντα συνεστάναι καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι* ponebant. Prius autem quam de pluribus hujus disputationis locis agere incipiam, secundum Heraclitum quaedam dicenda videntur contra inverecundiam imperitamque procacitatem Lucretii, Heraclitum improbantis, quod non intelligeret ea, quae vir hicce, divino pectore, egregie sed obscure erat profatus. Tantum enim abest, ut *σκοτεινός* ille et *αἰνικτής* convicio dignus sit, quod noster ei confidentius ingerit, ut potius admirandus esse videatur ob praeclara sua, sensa tamen magis, quam distincte perspecta, placita, quae veritate et acumine nostra magis, indefessâ naturae investigatione multo provectiora, tempora spirant, quam philosophiae Graecae incunabula. Vere enim et pulcre epigramma hoc de Heraclito:

Μὴ ταχὺς Ἡρακλείτου ἐπ' ὀμφαλὸν εἴλεο βίβλον
Τοὐφεσίου. μάλα τοι δύσβατος ἀτραπιτός.
Ὀρφνὴ καὶ σκότος ἐστὶν ἀλάμπετον, ἢν δέ σε μύστης
Εἰσαγάγῃ, φανεροῦ λαμπρότερ' ἠελίου.

Immerito Heraclitus physicis annumerari solet, quod inde factum, quoniam propter *μεγαλοψυχίαν* et stolidorum contem-

tum (1), obscuritatis in scriptis amans, ignem principium omnium rerum esse pronuntiaverit. Sed si attendamus ad rationem qua, corporaliter et physice, conversiones (*πυρὸς τροπάς*, *μεταβολάς*) et in alias res abitus ignis (*ἀλλοιώσεις*) explicat per ignis motum sursum deorsumque (*ὁδὸς ἄνω*, *κάτω*) et exhalationem atque rarefactionem (*ἀναθυμίασις*); si reputemus Heraclitum nonnisi motum et actionem revera esse declarasse (*κίνησιν τοῖς πᾶσιν ἀπεδίδου* Plut. de plac. phil. 1, 13), quamvis sensus hanc motum non percipiant, (cf. *φασὶ κινεῖσθαι*, — *πάντα καὶ ἀεὶ*, *ἀλλὰ λανθάνειν τοῦτο τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν* Arist. phys. 8, 3); falli vel acutissimum omnium sensum, visum (Diog. L. 9, 7 *τὴν ὅρασιν ψεύδεσθαι* cf. Sext. Emp. 7, 126: *κακοὶ μάρτυρες ἀνθρώποισιν ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα βαρβάρους ψυχὰς ἐχόντων.*); omnia continuo mutari et dilabi (Plat. Crat. p. 402 » *λέγει που Ἡράκλειτος*, *ὅτι πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει*); haec omnia si conferamus, perspicimus, quid sibi velit dictum illud Aristotelis de An. 1, 2: *Ἡράκλειτος δὲ τὴν ἀρχὴν εἶναί φησι τὴν ψυχήν.*

Vividam scilicet *vim* Heraclitus sensit non tantum omnes res penetrare, ut animal vitam, sed res ipsas esse, eas constituere; materiamque nihil aliud esse, quam agentis illius principii manifestationes et actiones in nostros sensus. Nec tamen vim illam vividam, *τὸ πᾶν* constituentem, ubique unam eandemque esse statuit, sed varias multifarias-

---

(1) Vehementer *ἀμούσους* increpans inducitur in hoc epigram:

Ἡράκλειτος ἐγώ· τι με ὦν κάτω ἕλκετ᾽ ἄμουσοι;
Οὐχ ὑμῖν ἐπόνουν, τοῖςδ᾽ ἐμ᾽ ἐπισταμένοις.
Εἷς ἐμοι ἄνθρωπος τρισμύριοι, οἱ δ᾽ ἀνάριθμοι
Οὐδείς· ταῦτ αὐδῶ καὶ παρὰ Περσεφόνῃ.

Haec epigrammata desumsi ex editione Meibomiana Diogenis Laërtii, recentiorem, ubi forte emendatiora leguntur, comparare mihi non potui. Manifesto certe patet *κάτω* cum *παρὰ Περσεφόνῃ* pugnare, aut primum versum esse corruptum. In primo enim versu videtur Heraclitus apud Superos degere; in ultimo in Inferis. ~~Suspicor legendum esse κάτωθ᾽ pro κάτωθεν~~ „quid me lacessitis, ut ab inferis revertar." Goethius in epigr. 12: „Mache der Schwärmer sich Schüler, wie Sand am Meere, der Sand ist — Sand, die Perle sei mein, du, o vernünftiger Freund!"

que esse vires, sua quamque natura praeditam, inde ab infimo, quod se manifestat in igni nostris sensibus, usque ad summum, quod animum hominumque deorumque constituit, *τὸν κοινὸν θεῖον λόγον.*

Hinc jam apparet, quomodo de mundo pronuntiet: *ἀλλ' ἦν ἀεὶ καὶ ἔσται πῦρ ἀείζωον ἁπτόμενον μέτρα καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρα* (Clem. Alex. Strom. 5 p. 599); scilicet ex omni materia seu agentis principii manifestatione externa nihil magis cum vivida illa vi comparari posse quum vidisset Heraclitus quam vim igneam, principium agens dixit *πῦρ ἀείζωον, ζωογόνον.*

Nec erit, qui, nisi prorsus in philosophia naturae et animi hospes sit, virum admirandum neget, qui sola fere mente et cogitatione, phantasia duce, ad tam egregia, materialismo omni liberata, placita pervenerit, nonnisi hac in re forte culpandus, quod non distincte suam cuique agenti naturam assignaverit, quam transgredi natura ipsa negaret. Patet plantam non posse fieri animal, nec animal hominem. Ipsa enim haec est animalis natura, ut homo fieri non possit; cf. 1, 671 & 2. »Nam quodcunque suis mutatum finibus exit, continuo hoc mors est illius, quod fuit ante." Haec strictim et abrupta forte de Heracliti meritis exposita praetermittere non potui, quamvis dubitarem anne essent qui me ipsum *τοῦ Ἡρακλειτίζειν* insimularent.

Jam vero ad singulos disputationis contra Heraclitum locos accedamus. In versu 647 omnes codices habent, pro *ex uno*, *ex uro*, Gott. fragm. pro *puroque*, *veroque*, quod recte non contemnendum censet Preigerus.

Neque *ex uno* neque *ex puro* convenit Lucretio. Etenim si *uno* legatur, necessario explicandum, *unico*, *solo*, et sensus esset.: *si res sunt creatae ex uno igni et non*, *quod contendo*, *ex pluribus praeter hunc.* Sed Lucretius ne *inter* prima quidem rerum semina ignem habet. Ipsum enim ignem creatum esse dicit ex atomorum concursu, motu, ordine, positura, figuris, vid. 1, 685-90. Neque ex *puro* convenit; significaret enim: *si non*, *ut verum est*, *ex commixtione et confusione ignis cum aliis elementis*, *res sunt creatae;* quod contra mentem Lucretii est.

Legatur: *et vero si sunt igni vereque creatae.*

Quid Lucretius sibi velit per *verum* ignem, statim in subseqq. explicat, scil. vs. 649 & 50: »si partes ignis *eandem Naturam, quam totus habet super ignis*, haberent.” Non opus est ut animadvertam, quam libenter Lucretius, quin et omnes fere veteres eadem verba, eundem sonum, in eodem versu repetere soliti fuerint v. g.: multa modis multis, *πόνος πόνῳ πόνον φέρει*, et sic sexcentis in locis. Plura congessit Lobeckius ad Ajacem vs. 866, ex quibus hoc comici Latini adscribere libet: »optime optimo operam dant optimam, mala malae malo monstrant.” cf. et Naeckius in disput. de alliteratione.

656-65. Versum 658 tractat Madvig in opusc. acad. tom. I, p. 308, not. 2, ut probet ex omnibus codicibus, qui nobis supersunt, Lugdunensem codicem, literâ Z ab Havercampio notatum, proxime abesse a Gottorpiensi, simulque reprehendit Forbigerum cum Wakef. *inesse* scribentem; nec tamen viam verae lectionis inveniendae demonstrat. G et Z enim habent *mu*, Y *musae*, ceteri varia. Quum vero summus ille vir locum, quasi desperatum, intactum reliquerit, parvulus ego in literis Latinis de isto *mu* ne *μῦ* quidem dicere ausim nisi arrideret Vossii conjectura *amusae*, docte a Preigero commendata. Nam quum Heraclitus placita sua aversantes *ἀμοίσους* cognominasset, quid mirum, quod eodem verbo eandem injuriam in illum retorserit noster, qui toto hoc loco satis vehementer in Heracliteos invehatur? Hac lectione contentus sum, donec meliora afferantur.

vs. 661. Quid Forbiger sibi velit edendo vs. 661 *exemtum*, non capio, nec sensum habent ista, quatenus sapio. G Y Z habent *exemto rebus inane*, quod recte (1). *Inane* est ablativus, et substantive adhibetur, uti in libro 6, vs. 697: »mare” pro mari scriptum videtur a Lucretio (2).

---

(1) Ex recensione v. d. Siebelis in Diar. Ant. 1847, sect. 4 idem jam restitutum esse video a viro docto Altenburgio, cujus tamen libellus nondum ad me perlatus est.

(2) *Inani* placet viris doctis Siebelis et Altenburg: sed *inane* antiquum non offendet reputantem, ablativum Latinorum oriri ex dativo demtâ

Sed ne vel sic quidem haec (a 656–665) recte se habere videntur, nec apte cohaerent 656 & 7 cum sequentibus. Expungatur versus 657, nullius pretii, forte conflatus ex 648 & 49, et totus locus ita interpungendus:

»*Id quoque si faciant, admixtum rebus inane; (est)*
Sed, quia multi sibi cernunt contraria amusae,
Et fugitant in rebus inane relinquere purum,
Ardua dum metuunt, amittunt vera viaï;
Nec rursum cernunt, exempto rebus inane,
Omnia denseri." —

Sic omnia plana. Sensus perspicue est hic: praeterea si statuant ignes denseri et rarefieri, necessario statuere debent inane rebus esse admixtum; sed contrariis confusi nec audentes inane statuere, hoc ipso metu vel *hanc* veram viam derelinquunt, scil. inane admixtum esse rebus; et non perspiciunt se sibi contraria statuere, cum *inane* necessario postuletur ut ignes possint rarefieri.

1, 681. Legas: *decedeae.* G, X, Z et a prima manu Y habent *descendere* sed in Y correctum in *decedere?* cf. quae docte de *distrahere* et *detrahere*, *diminuere* et *deminuere* disputavit Siebelis in Quaest. Lucr. p. 44-46. Nec Forbigerum adjuvat 3, 973. Alia enim ibi est ratio cur *discedere* usus est poeta. Ibi de discessu invito cogitat (zich losrukken).

1, 704. Forbiger cum omnibus editoribus recepit *summam.* Sed illud praetermittitur optimis codicibus G et Z, nec est, cur potius *summam* quam aliud quoddam vocabulum inseramus.

Accedit autem quod ne sensum quidem expeditum habet *summam.* Latet enim, qualis quarumque rerum summa sit intelligenda, atque, si accipiatur pro *omnium rerum summa* aut *ignium summa*, prorsus absurda dici manifestum est.

literâ *i.* Ita auraï, aurâ; dominoi, domino; vestei, veste; inanei, inane; fructui, fructu; spei, spe. Plura hujus derivationis vestigia supersunt, alia delevit usus tyrannus.

Sed verissima est lectio alterius Vossiani codicis Y, *ignem* habentis, et optime Lucretio Epicureo conveniens.

Quam neget esse ignis, ignem tamen esse relinquat? Ad *ignis*, genitivum, supplendum *naturam* ex priori versu.

Sensus: eodem jure, quo Heraclitus omnium, aëris, aquae, terrae etc. naturam tollit, solamque ignis naturam relinquit, quamvis agnoscat esse aërem, terram etc. ex commutationibus (ἀραίωσις, πύκνωσις) ignis progenita; inversa ratione tollere possit naturam ignis, (uti sustulit naturam aëris, quem dicit constare igni) et tamen ignem relinquere in rerum natura (eadem ratione qua reliquit terram, aërem etc., ipsorum naturam tollens). In G Z *ignem* propter praecedens *ignis* esse praetermissum, in promtu est. Recte pro sua τοῦ σκοτεινοῦ intelligentia ratiocinatur Lucretius sed in altam Heracliti non penetravit mentem. Heraclitus enim, non materiam visibilem, quam vocamus *ignem*, statuerat esse omnium principium, sed vitale illud agens, cujus variis transformationibus varia naturae species oriatur. Hae autem vires quum in aeterna rerum natura maxime sensibus patefierent in igni, cujus natura purior et acrior proxime ad illas accederet, (uti summa illarum manifestatio est in τῇ ψυχῇ, animo, et intellectu, κοινῷ λόγῳ) principium illud, accommodate linguae vulgari, ignem appellavit. Quum vero suam philosophiam in Musis suis, ornamentis poeticis involutam, picturis, imaginibus, comparationibus tectam, deposuisset; non intellectus est neque a Lucretio neque a plurimis aliis, qui externis sensibus capti, uti Epicurei, aut poetica expositione confusi, uti Plato, sensum, sub figurate dictis Heracliteis latitantem, eruere non valuerunt et verum i. e. sensibus manifestum, ignem Heraclito ob oculos fuisse putarunt. Sed haec non poterant conciliare cum enunciatis Heracliti de fallacitate sensuum, animi vi et efficacitate, ceteris. Hinc illae lacrimae ortae sunt de obscuritate aenigmatica Heracliti, cui nostra demum tempora debitum tantis meritis honorem restituere valuerunt.

1, 756. Merito Madvig, p. 307 in nota, castigat Wakefieldium, inepte 754-59 explicantem, et clare demonstrat legendum esse *ut qui*, ut ordo sit: *huc accedit item, ut;*

sed confitetur se ultimam versus vocem et syllabam non reperire. Attendenti vero ad 2, 17 »ut quoi," interpretibus collatis, dubium non erit, quin *ut quoi* legendum sit, et *quoi* dativus commodi habeatur, otiose quidem positus, nec tamen ineleganter. Utroque in loco cogitaveram de *qui* pro *aliquâ ratione*, uti interrogativum *quî* pro *quomodo*; sed cum, excepta analogia, alia argumenta idonea abessent, in re dubia et incerta aliquid novi atque inauditi proferre nolui, quamvis, quod obstet, non videns. *Cui* firmatur etiam vs. 759 *habebas*, indefinite adhibito verbo. Acute quidem v. d. Siebelis in Diar. Antiq. 1844, sect. 9 emendationem Lambini vs. 754 *quod jam* defendit, nec tamen mihi persuadet. Haereo enim in praesenti *debeat*, pro *deberet*, quum aut hoc, *ut qui* pro als auf welche Art posito, scribendum poetae fuisset, aut *debet*.

1, 810. Necessario cum G, X, Y, Z legendum *adjuvat* propter parallelismum cum superioribus. Uti enim *indulget* — *possint* sibi correspondent, sic *adjuvat* — *exsolvatur*.

1, 824. *Bellis*, quod in G, Q, X, Y, Z invenitur, (in Z tamen superscripta est lectio vulgata *verbis*) non explicare possum, nisi quod in archetypo forte, unde nostri codices descripti sunt, librarius, admiratione Lucretii abreptus, in margine *τῷ verbis* adscripserit *bellis*, ut pro sua quidem latinitate significaret: verbis et his quidem pulcris ac magnificis; quam glossam scioli in textum, quasi genuinam lectionem, receperint.

1, 841. Minus vere Forbiger Lambini acutissimi auctoritate lectionem suam tuetur. Lambinus enim in secunda editione posuit: ignibus ex ignem, humorem ex humoribus esse; vid. annot. Lamb. ad h. l. in ed Haverc. Et recte ille.

Lectionem Forbigeri codices quidem habent, sed *ignem* non *ignes* esse scribendum docent versus superiores: ex *visceribus viscus*, sanguinis *guttis sanguen*, *ex auri micis aurum*, *de terris terram*.

Primo autem poëtam dixisse *ex ossibus ossa*, non mirum, quum *os* in singulari singula ossa significet, non *collectivum*

seu potius *abstractum*, uti requiritur; et inest in viscere, sanguine, auro, terra, igni notio abstracti, notio generis.

Quum vero semel *ignes* codicibus irrepsisset, *ex humoribus* metri caussa stare non potuit, et sic *ex* etiam ejectum est.

1, 843. Transponunt G. Y. *Z. idem parte.* Non tanti, sed codices sequendi, et hîc praesertim, ne *idem*, quod vim habet, in metrica lectione totum confluat cum anteriore et sequenti vocabulo.

1, 853. Certissime cum viro doctissimo Preigero scribendum est: *sanguis an ossa;* qui recte provocat ad vs. 860. Sed res conficitur vs. 835—41 cf. annot. ad 841.

Nec difficile est reddere rationem, cur nostro loco librarius *ossa* in *os* mutaverit: attendens scilicet nonnisi singularia in hoc versu inveniri. Hinc, *ossa* mutilato, descriptores varia excogitarunt ad labefactum metrum fulciendum.

1, 859—67. Conferantur de hoc loco corrupto Madvig in opusc. tom. 1, p. 310 et Siebelis in Diar. Ant. 1844, coll. 795 & 96.

Versus 861 spurius est et insertus ad supplenda ea, quae in sensu et constructione verborum desiderantur. Sed ne servato quidem versu hoc subdititio argumentatio bene procedere videtur. Noster enim locus aperte respicit ad exemplum nutrimentorum refellendum, quo Anaxagoras usus est, ut ostenderet, quo sensu ὁμοιομερείαν accipi vellet. Juvat adscribere integrum locum Plutarchi de Placit. Philos I. 1, cap. 3, ex cujus cum nostro loco mira similitudine concludas utrumque ex eodem fonte hausisse:

Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομένιος ἀρχὰς τῶν ὄντων τὸς εἶναι ὁμοιομέρειας ἀπεφήνατο· ἐδόκει γὰρ αὐτῷ ἀπορώτατον εἶναι, πῶς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος δύνατάι τι γένεσθαι, ἢ φθείρεσθαι εἰς τὸ μὴ ὄν· τροφὴν γοῦν προςφερόμεθα ἁπλῆν, καὶ μονοειδῆ· οἷον τὸν Δημήτρειον ἄρτον, τὸ ὕδωρ πίνοντες· καὶ ἐκ ταύτης τῆς τροφῆς τρέφεται θρὶξ, φλὲψ, ἀρτηρία, νεῦρα, ὀστᾶ, καὶ τὰ λοιπὰ μόρια. τούτων οὖν γινομένων, ὁμολογητέον ἐστὶν, ὅτι ἐν τῇ τροφῇ τῇ προςφερομένῃ πάντα ἐστὶ τὰ ὄντα, καὶ ἐκ τῶν

ὄντων πάντα αὔξεται· καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ τροφῇ ἐστὶ μόρια αἵματος γεννητικὰ καὶ νεύρων, καὶ ὀστέων, καὶ ἄλλων τῶν ἅ ἦν λόγῳ θεωρητὰ μόρια· ἀπό τοῦ οὖν ὁμοῖα τὰ μέρη εἶναι ἐν τῇ τροφῇ τοῖς γεννωμένοις, ὁμοιομερείας, ὕλην, τὸ δὲ ποιοῦν αἴτιον, τὸν νοῦν τὸν τὰ πάντα διαταξάμενον.

His comparatis, totius loci apodosis esse videtur versus 865—67, et constructio esse: quoniam cibus auget corpus alitque, fiet uti etc.

Hoc enim solum probare vult: cibos non ex similibus particulis minutis constare sed ex diversi omnino generis atomis; uti idem porro affirmat de terra, quoniam inde varia exoriuntur corpora, et de lignis, quoniam flamma, fumus cinisque in iis latent.

Quae si ita sunt, versus 860—64 sunt interpositi, ut omnes viae effugiendi adversariis intercluderentur.

Duas autem has esse et ipsius rei ratio docet et vocabulum, *sive*, versu 862, comprobat. Ergo vel versus interciderunt post 860, vel versus 860 vitium contraxit. Sed quum oppositio esse debeat *cibos* inter atque *partes* corporis, posterius verosimilius esse patet. Verae scripturae vestigia demonstrat Heinsii secunda collatio, in qua, ut in ed: Gryphiana, Basiliensi et Nardii, legitur *seu vel ut in nobis*, unde ita locus mihi restituendus esse videtur:

sive licet, nervos, venasque et sanguen et ossa.

Hac ratione sibi respondent: *sive nervos venasque* etc. i. e. partes corporis; *sive cibos omnes;* et sensus est apertus: sive dicent partes corporis esse commixtis elementis sive de cibis idem concedent. Talia Lucretii animo obversata fuisse patet ex. versibus 875—880. Scilicet Anaxagoras statuebat in omnibus rebus (quos sensibus percipimus) omnes res (omnis generis particulas, similes inter se, minutas, sed sensibus non percipiendas) latitare immixtas, sed illud unum sensibus nostris manifestari, in quo plurimae eaedem essent homoeomeriae; i. e. res sensibiles *ejus* homoëomeriae speciem nobis manifestare, quae omnium maximo numero in ipsâ

exstaret. Eadem, quae noster, refert Simpl. Phys. f. 6 B. „πάντων μὲν ἐν πᾶσιν ὄντων, ἑκάστου δὲ, κατὰ τὸ ἐπικρατοῦν ἐν αὐτῷ χαρακτηριζομένου."

Et ciborum quidem exemplo hanc sententiam ab Anaxagora fuisse probatam vidimus in loco Plutarchi, initio hujus disputationis allato; sed etiam exempla carnis, ossium adhibita fuisse patet ex Aristotele, Anaxagorae sententiam de homoeömeria referente in libro primo de generatione animalium: » res et apparere et denominari invicem differentes ajunt, ab eo, quod in infinitorum mixtura abundat: non enim esse totum pure aut album, aut nigrum, aut dulce, aut carnem, aut os; cujus autem amplius unumquodque habet, eam talis rei naturam videri."

His locis bene perpensis et cum nostro comparatis, non dubito, quin nostra emendatio magnam saltem probabilitatem habeat et difficultatem hujus loci tollat.

Unde haec corruptio orta sit, facile apparet, si reputemus librarium offendisse ad *licet*, nude positum, (Unde in Heinsii coll. 2, Gr. Nard. et Basil. *seu vel ut.*) et sic reposuisse, quod usitatissimum Lucretio est, *scire licet*. Sed sic fere etiam ponitur in 6, 601 » proinde, licet, quamvis coelum terramque reantur etc." tanquam particula concedendi. Pro *nobis*, *nervos* restitui ut enumeratio conveniret versibus 863 & 64, nec tamen vehementer pugno, si quis verba viri doctissimi Siebelis l. supra laud. ad finem, de lectione codicum vs. 867 *sanieque* pro *venisque*, ad *nobis* defendendum afferat, modo conjungatur cum *dicent*, non cum *licet*, quod absurdum.

Ratio, qua Lucretius Anaxagoram refutat, nobis non satisfacit nec revera sententiam ipsius evertit, sed est tota puta Epicurea. Epicurus enim criterium veritatis ponit in evidentia (ἐναργείᾳ) unde judicium ipsi δόξα vocatur, quod verum esse putat, si praedicatum i. e. perceptio intuitiva (πρόληψις) evidenter de subjecto enunciari possit.

Sic omnia judicia vera dicit nisi quae evidenti sensuum testimonio refutantur vid. Diog. L. 10, 34 cf. Sextus. Emp. 7,216.

Eadem ratione noster evidenter falsam esse Anaxagorae

sententiam demonstrare conatur ita: quia cibus auget corpus, cibus constat ex alienigenis.

1, 873. Versuum post hunc versum in optimis codicibus obviorum prior sine dubio, ut v. d. Siebelis conjicit, ex vs. 859 & 868 conflatus est, nec tamen rationes, cur posteriorem servare velit, rem conficere mihi videntur.

Quod enim *primo* in prioribus alienigena accuratius solere definiri afferat, oppugnare licet ipsius verbis ad versum 867, scilicet poëtae rationem non posse exigi ad severam argumentandi normam. Quod *secundo* haec: *totidem verbis utare licebit;* necessario hunc versum poëtae vindicare putet, non possum concedere, quia poëta forte respexit ad 869 & 70 qui a *si* incipiunt, uti etiam 872; et quod *tertio* hunc versum tueatur auctoritate codicum, nullius fere momenti est propter praecedentem versum spurium, eadem auctoritate munitum. Imo utrumque versum insertum esse puto ex verbis, ad literam inepte intellectis; *totidem verbis utare licebit*, ut prior cum versum 868 conveniret et posterior cum 870. Ingrata et inepta est repetitio τῶν *ex alienigenis* in re nullam emphasin desideranti, ita ut si retinere velis, distinctio ante *lignis* sit tollenda et *ex alienigenis* cum *lignis* conjungenda sint, quod faverem, nisi obstaret *lignis* in 870, nude positum.

1, 885. Cum codicibus legendum: *latices*, et explicandum cum Lambino: latices, quas potant pecudes. Ex herbis enim et aqua oritur lac pecudum, utpote res liquida; praeterea *herbae* quidem mittunt guttas laticis i. e. humoris sed *latices* non mittunt dulces guttas lactis; denique nisi *et*, in versu 285, sit copula inter *herbas* et *latices*, haec particula offendit propter praecedens *quoque*, utut defendatur opponendo versu 887 »et glebis."

1, 889. Cum codicibus et antiquioribus interpretibus legamus *atque;* ratio enim, quamobrem Forbiger *ac* tuetur, est nihili. Praeterea invitis codicibus restituendum videtur *terris* propter pluralem *terrarum* vs. 887, si nempe non omnino incastigatum esse poetam Lucretium credamus.

1, 890 & 91. Duo hi versus dubito anne sint ejiciendi; desunt enim in Gottorp: et plura νοθείας signa in fronte ge-

runt. Primo enim illud *postremo* offendit. In hoc loco, 784-905, ubi in transitu refutat illud »omnibus rebus omnes res immixtas latitare" nullis enumerationis particulis utitur, neque hae omnino sunt necessariae (brevior enim est locus et nexus perspicuus). Secundo illud *praefracta* displicet. Adhibetur hic sensu proprio, non translato, uti *praefracte* in libro Ciceronis de off. tertio »Cato nimis praefracte videbatur mihi aerarium defendere," et explicatur a Lambino et Fabro: leviter et in summo cortice fracta. Et haec sane est vis praepositionis *prae* in *praefringere*, quod significat frangere partem priorem seu eminentiorem. Hoc sensu utitur Celsus (5, 26, 35) »surculus corpori infixus si praefractus est vel altius descendit, quam ut manu aut ferro ejici possit, medicamento evocandus est." Sed manifesto hic sensus loco nostro non convenit, ubi significare debet: *perfracta*, *vi magna fracta* (*door en door gebroken*), uti in praegrandis praeclarus etc.

Tertio exemplum ignis, fumi cinerisque, in lignis latentium, jam adhibitum vss. 872 & 73; cui bono, in tanta exemplorum abundantia et varietate, fastidium lectori movere eisdem iterandis? Immo videntur confecti ex allatis versibus 872 & 73, et formati ad exemplum 888 & 89, a diligenti quodam poëtae lectore, uti versus 883.

1, 931. Recte hic et initio libri quarti codices Vossiani et Lambini, deperditi eheu! optimi, Bertinianus et Memmianus, habent *porgo*, quod utroque loco restituendum censeo. *Porgo* enim est pro *porrigo*, uti Horatianum *surpere divisse*, Lucretianum *irritât*, et plura. vid. Gifanium ad Lucretium in v. *exporgo*. Porrigo, ait poëta, exsolvere animum nodis religionum i. e. offero, opportunitatem do solvendi religionibus animi.

1, 958. Pro *nam que* Z habet *nam qua*, codex Bertinianus *nam quam*, testante Lambino. Praestat ergo legere: *nam quâ* i. e. aliqua in parte.

1, 959 & 60. Antiquiores interpretes horum versuum obscuritatem conqueruntur. Faber ejicit, sed male. Requiruntur enim, et hunc habênt sensum: nulla res potest extremum habere, nisi alia sit res, quae priorem finiat, ita

ut inde pateat naturam sensus (quae talis est ut nihil sentire queat extremum, nisi aliud adsit praeter illud, et sic, in infinitum, ex alio extremo in aliud semper progrediatur,) haec non ulterius posse persequi, sed mente et ratione concludendum esse: nihil esse praeter τὸ πᾶν; quod poëta facit in sequentibus. Sed, quamvis locus talem interpretationem recipiat, dubito tamen vehementer an poëta haec significare voluerit. Inepte enim et ingrate verba ista: *ut videatur — sequatur* nexum hujus argumentationis syllogisticae interrumpunt, praesertim *hujus*, quam Cicero ipse in Epicuro laudat propter distinctam et consequentem logicam formam. Et sane si haec verba demantur, ipsa illa perspicuitas et logica distinctio restituitur, Sed magis etiam haereo, si comparo nostrum locum cum verbis simillimis ipsius Epicuri in ep.: ad Herod. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστιν. τὸ γὰρ πεπερασμένον ἄκρον ἔχει. τὸ δὲ ἄκρον παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται. παρὰ τὸ πᾶν δ' οὐδέν ἐστιν. Ὥστε οὐκ ἄκρον ἔχει. τὸ δ' οὐκ ἔχον ἄκρον, πέρας οὐκ ἔχει. πέρας δ' οὐκ ἔχον, ἄπειρον ἂν εἴη.; quae iisdem fere verbis expressit Cicero in libro 2 de Divinatione: »Videsne Epicurum, quem hebetem et rudem dicere solent Stoici, quemadmodum, quod in natura rerum omne esse dicimus, id infinitum esse concluserit? Quod finitum est, inquit, habet extremum. Quis hoc non dederit? Quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus; hoc quoque est concedendum. At quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus; ne hoc quidem negari potest. Nihil igitur cum habeat extremum, infinitum sit, necesse est." Cicero verba Epicuri »τὸ ἄκρον παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται" vertit per: quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus" et eundem fere sensum debent habere versus Lucretii 959-61. Cetera enim plenissime conveniunt cum Graecis, vs. 957 cum τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστιν; 958 cum τὸ πεπερασμένον ἄκρον ἔχει; 962 cum παρὰ τὸ πᾶν οὐδέν ἐστιν; 963 cum ὥςτε οὐκ ἄκρον ἔχει; 263 & 4 cum τὸ οὐκ ἔχον ἄκρον, πέρας οὐκ ἔχει; 965 & 66 ἄπειρον ἂν εἴη. Ex his autem si concludere liceat; verbis: *extremum nullius posse videtur esse, nisi ultra sit quod finiat; ut videatur, quo non lon-*

gius haec sensus natura sequatur; idem poëta dicere voluit atque Epicurus: *τὸ ἄκρον παῤ ἕτερόν τι θεωρεῖται.* Haec si probabiliter disputata sunt, suppleri debet ad *videatur* subjectum *finis* ex antecedenti *finiat*, ita ut sensus sit: ita ut finis rei, quae finitur, appareat, ultra quem natura sensûs haec i. e. hanc rem persequi non possit.

Non tamen nego valde contortam esse illam explicationem, unde corruptio mihi latere videtur in *finiat*, pro quo in Y et Z *fineat* legitur, sed quomodo corrigendum sit, aqua haeret. Tale quid scriptum esse suspicor: *quo fiat*, *ut videatur* i. e. quo fiat ut hoc appareat, ultra quod sensus non progrediatur, i. e. extremum. Sed metrum non permittit, decedo peritioribus.

1, 976. Cum G exhibeat *probeat*, Y et Z *praebeat*, quidni *probeat* i. e. *prohibeat* scribatur, uti 986 *confluxet*, contractione etiam externe manifestata? Non tantum ex versu 972 »prohibere et obstare" et ex sequenti »quominu' quo missum est" etc. sed certius etiam ex lectione Vossianorum *praebeat* pro *probeat*, patet cum Wakef. et Eichst. legendum esse *officiatque.* Librarius enim, qui *praebeat* scripserat, necessario etiam *efficiatque* scribere debuit.

1, 1032. G et Z (a prima manu) habent *forta*, in Z correctum *foeta*, quod restituendum censeo, vel propter assonantiam, quam dicunt; idem dicit 2, 994: terra (ex humorum guttis receptis) foeta parit nitidas fruges, ubi *foeta* non est expulsum a Forbigero, et recte, credo; nam guttis non *fovetur* terra.

1, 1072. Lambinus *regione* legens explicat: »nec si demus esse medium, propter hanc causam in medio potius, quam in quovis alio loco, quicquam consistere queat." G, X, Y, Z habent etiam *regione*, uti et codices Lambini, nam lectionem *ratione* vocat »quorumdam librorum typis excusorum" (Brix, Ver. Ven. Junt. Ald. 2), quod repono, licet probabiliter *ratione* explicet Forbiger. Uti enim ex conclusione vs. 1080 & 1 apparet, non disputat, quare in medio res consistant, sed potius, res non consistere alicubi, quoniam medium sit, ubi consistant.

1, 1074. Probabiliter quidem Wakefieldius conjecit *debet*, sed, quum G et Z exhibeant *concedere oportet*, et versu 1079 *concedere pergat* eadem significatione inveniatur, quae hîc obtinere debet, luculenter patet restituendum esse: *concedere pergit.*

AD LIBRUM II.

2, 5 & 6. Fallitur Forbiger, hunc ordinem in omnibus codicibus inveniri affirmans, nam G, X, Y, Z *suave etiam* etc. praeponunt. Et hic ordo restituendus, *tum* quia in ordine Forbigeri offendit et durum est *etiam*, in secundo versu si ponatur, dura etiam absentia verbi *est*; *tum* quia suavis repetitio est in: »quia cernere suave est, suave etiam," quae perit transpositione suavitas.

2, 7. Mirum est, quod Gottorp, fr. habet *nihilo dulce*, et hujus auctoritate nixus, ceteris refragantibus, lubenter emendem: *sed nihilo dulce est bene com-* (pro quam) *munita tenere* etc. Sic sermo (7 - 13) est rogantis cum indignatione, et apte, hac indignatione magis magisque excitatus, exclamat poëta: »o miseras hominum mentes, o pectora caeca;" quae, loco nostro emendato, non amplius ad errores et vitia hominum, in antecedentibus relata, referenda sunt, sed ad neglectum philosophiae studium, quod unicum beatos reddere homines possit. Haec praeterea interpretatio optime convenit cum dictis Epicuri: *φιλοσοφητέον καὶ νέῳ καὶ γέροντι* et: *ὁ δὲ λέγων, ἢ μήπω τοῦ φιλοσοφεῖν ὑπάρχειν ὥραν, ἢ παρεληλυθέναι τὴν ὥραν, ὅμοιός ἐστι τῷ λέγοντι, πρὸς εὐδαιμονίαν ἢ μὴ παρεῖναι τὴν ὥραν, ἢ μηκέτι εἶναι.* et sic pluries. Denique, quomodo *nihilo dulce* in *nihil dulcius*, et *com* (in *communita*) in *quam* mutari potuerit, ratio est in promtu; quia scilicet non intelligebant librarii,

haec cum magna indignatione esse dicta, quâ contrarium plane atque quod nudis verbis significatur, innuere velit poëta. Sed quomodo *nihil dulcius* in *nihilo dulce*, facillimum in difficile, abire potuerit, equidem non capio. Per se patet, nostra emendatione recepta, vsu 13 signum interrogationis esse ponendum.

2, 16. Recte, puto, codicum lectionem restituit et defendit Lambinus. Scilicet »*nonne videre*, ait, oratio est praecisa et decurtata, quali uti solent in perturbationibus et indignationibus, proinde ac si dixisset; itane sunt caeci ut non videant.'' Sed haereo dum in *ut cui*; non enim natura sibi poscit, ut, ille, a cujus corpore absit dolor, mente fruatur jucundo sensu, sed sibi poscit, ut *et* a corpore dolor absit, *et* ex absentia doloris jucundo sensu animus fruatur. Sic Epicurus inter alia in epistola ad Menaeceum conjungit corpus et mentem: *σώματος ὑγιεία καὶ ψυχῆς ἀταραξία τοῦ μακαρίως ζῆν ἐστι τέλος*. Sic etiam noster versu 20 seqq. disserit de iis, quibus ad corpoream naturam opus est; versu 37 sqq. de iis, quae animus desiderat. Hinc magis magisque stabilitur penes me conjectura, de qua dictum ad 1, 756, et suspicor hunc esse loci sensum: itane caecus est homo, ut non videat, naturam nihil aliud sibi poscere quam ut aliqua ratione (i. e. quacunque ratione hoc fieri possit) *corpore* sejunctus dolor absit, *mente* vero ille fruatur jucundo sensu, semotus a curis et metu.

Semotu, ut obiter moneam, non est Gifanii conjectura sed Lambini, quam tamen Gifanio adscribunt Preiger et Siebelis; o anticipationem Lambini ob furta Gifanii indignantis!

2, 40-45. Huncce locum ita scribendum esse persuasum habeo:

Si non forte, tuas legiones per loca campi
Fervere cum videas belli simulacra cientes,
His tibi tum rebus timefactae religiones
Effugiunt animo pavidae, mortisque timores
Tum vacuum tempus linquunt curaque solutum,
Fervere cum videas classem lateque vagari.

Ludit scilicet poëta in *legionibus* et *religionibus*. Si non, inquit, quum tuas legiones videas hominibus terrorem incutere, his rebus i. e. legionibus (quibus, ut machinis, uteris) tum timore affectae religiones effugiunt animo, et si non tum mortis timores linquunt tempus vacuum solutumque cura, quum videas classem fervere lateque vagari.

Arbitrarie enim, neque alio quam soni similitudinis argumento nixi, postremum horum versuum, a Nonio allatum, post vs. 41 posuerunt interpretes, cui suus locus est restituendus; quo facto, omnes disputationes, utrum versus hicce sit genuinus an subditilius, evanescunt; tum honor lusûs poëtici Lucretio restituitur; denique tota periodus elegans, rotunda et in se conclusa evadit. Grata et jucunda est illa conversio: *cum videas legiones — tum — effugiunt* et *tum mortis timores linquunt — quum videas classem.* — Aptissime hac ratione duplex *tum* duplici *cum* respondet nec opus esse videtur pluribus veram lectionem probare illi, quicunque opinione non praejudicata hos versus legerit (1).

2, 113 & 14. Quam parum cogitate Forbiger in Lucretio recensendo egerit, et de sensu locorum fuerit sollicitus, hic locus probat, in quo, deceptus rariorum verborum cupidine, (adv. insertim) sanam lectionem, quam optimi codices G, Y, Z (Z radi) praebent, pro stulta (χρυσέα χαλκείων) mutavit.

Nullum enim habet sensum Forbigeri: *insertim — radios*, ob repetitum *quum* in versu anteriori. Apte explicat locum Siebelis in Q. L. p. 11, cui tamen vix concedere possum, conjungenti *quumcunque.* Illud *inserti* enim, ne otiosum fiat et debile, aliquid flagitare videtur, quo vim accipiat. Hinc fit, ut legere velim, pro *quomque*, *quoque* illudque adjungere τῷ *inserti*. *Radii quoque inserti* i. e. quoquoversus inserti, in omnes locos penetrantes. Ubicunque enim apertura sit, per eam gliscit lumen.

Sed propter versum 116 »radiorum lumine in ipso" fere eo perducor ut legam: »*quum solis lumine quoque in-*

(1) De duobus aliis versibus in nonn. codd. obviis vid. vir doctus Weil, in Diar. Antiq. 1847, sect. 4, qui tamen de nostris nihil habet.

serti fundunt radii per opaca domorum." Radii enim hîc dicuntur non in genere, ut radii solis, sed peculiares illi radii, qui in phaenomeno, quod poëta describit, per aperturas immissi, moleculas huc illuc versantes ostendunt; solis lumini (vs. 114), quo hi radii inseruntur, opponitur lumen ipsum radiorum vs. 116; neque aliter sensu mihi se habere videtur illud »lumine in ipso. *Fundunt* pro *se fundunt*, *funduntur*, non est ut defendam. Eadem ratione 2, 219 depellere; 3, 1016 & 17 pascere, explere; 3, 1032 torret; 2, 314 surpere cf. epist. Preigeri ante ed. Haverc. n°. 8, Lambinus ad 2, 125 turbare (cum Virgilio et Terentio comparatum); plura. Denique minus recte dicantur radii *fundere lumen solis;* alia est ratio in vs. 116. Lumen solis fundit radios; in radiorum vero lumine *ipso* miscentur corpuscula. Etenim *solis lumina* in plurali sunt ipsi radii, uti vs. 161, quae vs. 193 vocantur »solis fulgura," aptissimâ metaphora, tralate a similitudine radiorum et fulminum acutorum.

2, 181. Quam absurda sit lectio Forbigeri »quamquam haec sint praedita culpa" exposuit Madvig, Opusc. I, p. 320, nec tamen viam emendandi monstravit. G, Y, Z habent: *quamquam praedita culpâ;* und puto legendum:

Quae quâ non praedita culpâ?

Qua n̄ facillime in *quam* abire potuit, quo facto, depravatio *quamquam* erat praesto. Exclamat haec poëta, plurimos naturae defectus et ingentia vitia cogitans, sed, hac ipsa cogitatione motus, horum tractationem ad alium locum rejicit, quippe quae ampliorem disputationem desiderarent, quam ut hoc loco inseri possent.

2, 209. *In terras* legatur, uti 212 & 215. G, Y, Z habent *terra*, *s* neglectâ ob sequens *stellas*.

2, 230. Quidni ex Y restituitur *aëra rarum?* (G *arum*, forte ibi scriptum *aërarum* pro *aëra rarum*). Epitheton hoc convenit cum versu 232 »naturaque tenuis aëris" et omnino similia sunt »per aquas atque aera rarum" vs. 230 et »corpus aquae naturaque tenuis aëris" vs. 232 & 3.

2, 286. Vel negante Forbigero, cum codicibus restituen-

dum est *nobis*, quod hîc unice aptum est, quamvis »sensum habere non videat.” E contrario *ollis* non habet sensum: deberet enim referri ad *semina* 284, et absurda esset conclusio. Sed ex libera potestate nobis innata (286 cf. 256–283) motus mutandi et sic fati, omnia deorsum ferentis, foedera rumpendi (254) concludit poëta: simile quid in seminibus debere adesse »de nihilo quoniam nil fieri posse vidèmus;” ne scilicet statuamus hanc nobis innatam potestatem ex nihilo esse ortam, quod *ἀδύνατον*. Jungenda sunt *aliam* vs. 285 et *unde* vs. 286. Sed sapienti sat.

2, 365. *Curamque* mihi legendum videtur cum Wakefieldio, nam quod Gottorp fr. habet *curaque*, hoc ex scripturae compendio ortum esse potest, cujus ubivis manifesta signa habet illud fragmentum. Ceterum eadem diversitas scripturae est in initio Cic. de Senect. »O Tite si quid ego adjuro curamve levasso,” ubi cod. A habet *curâve.*

2, 373. *Quin* non potest ferri, nisi contortam et frigidam interpretationem admittas. Referri enim debet ad *non tamen omne*, quod, quum solummodo ad *quidque suo genere* pertineat, intègro sensu possit eximi: »postremo quodvis frumentum inter se simile esse videbis;” quo perspecto quisque videbit *quin* in *quum* esse mutandum, quasi diceret poëta: »et tamen quandam distantiam intercurrere formis.” Codex vetus Vossianus habet »quid.”

2, 391 & 2. Durus est nexus inter *quamvis — at*, si conferas similia, 288 et 398-401, ita ut libenter legere velim *quam vi subita* i. e. quam subita vi. Eadem ratione 335 »tam diducta repente.”

2, 408. Cave ne cum Forbigero et Wakefieldio construas: »bona sensibus et mala tactu” i. e. bona quoad sensus et mala quoad tactum; significaret enim esse, quae ab una parte bona sensibus essent, ab altera mala tactu, quod absurdum. Construendum: bona et mala tactu sensibus (dativus commodi); recte enim addit Forbiger tactum apud Lucretium referri ad omnes sensus. Implicatae hujus structurae plura inveniri possunt exempla in Sieb. Q. L. p. 42 & 43, quibus hoc addatur.

2, 422. Gottorp et Voss. margo habent *omnis enim spe-*

cies, et pro *quomque videntum* (conjectura Wakefieldii) Lambini codices habebant: *cumque videntur; videntur* habent Gott. et codd. Voss., sed in margine *videntes.*

Hinc restituendum: *omnis enim species, quae mulcet cunque videntes. Videntes* enim in *videntur* corruptum videtur, quia librarius in *cunque* conjunctio *quum* latere putabat.

Et sic sensus recte sese habet. Opponitur enim externa species sensilis principiali laevori (823) i. e. laevitati principiorum seu elementorum, quae sentiri nequit, sed ex grata et mulcenti visum specie externa adesse sumitur. Contrarium dicitur in 424 & 25.

2, 437-39. Si haec cum superioribus arcte jungas per comma, necessario, ne nexus pereat, in superiori versu legendum: *quae, in corpore nata*, ejecto *est;* sed facilior loco medicina afferetur, si post *est* ponatur punctum, aut saltem semicolon. Ceterum animadvertendum a Lucretio *concitus* nunc penultima longa, nunc brevi adhiberi, ut hic brevi et 2, 239 et 4, 189, sic contra 2, 267 »concita per artus" longâ et »toto concita pericula mundo;" *citus* vero semper priori brevi invenitur. cf. Sieb. Q. L. p. 15.

2, 477. Pro *quo magis* scribendum videtur *quom magis.* Quod enim humor primordia aspera supra terras linquit, non est causa, cur illa in terris haerescant, sed contra, quod primordia aspera haerescant in terris, causa est cur humor ea linquat, utpote qui non asper sed laevis atque rotundus sit.

2, 483. Omnes fere codices exhibent *nam que in*, quod Siebelis in *namque ut* mutare vult, sed ne sic quidem sensus patet, nec patefit viri docti explicatione. Imo standum codicum lectioni videtur, sic scribendae: *Namque in eadem una cujus vis in brevitate corporis;* et explicandae: nam in una eademque re, cujus vis sita est in brevitate corporis i. e. quae solida est propter paucitatem corporum quibus constat, figurae multum variare non possunt. Animadvertendum Lucretium loqui de figuris atomorum (479 & 80), non rerum sensilium; et horum certe vis aeterna posita est in soliditate et simplicitate. v. g. 1, 575 de atomis: »sunt igitur solida

pollentia simplicitate" i. e. ut ex nostro loco explicem: horum vis sita est in brevitate corporis.

2, 490. Vulgata lectio *formarum* cum codicibus Vossianis (Y, Z) mutetur in *formai*. Sensus enim est: quaenam sit sua *forma* cuique partium dispositurae (ordini). *Quisque* ergo requirit singularem *forma:* quisque ordo unam solummodo habet formam. Non obstat versus 495, quamvis et ibi *formai* possit ferri; nam alia est ejus ratio, in quo quippe sermo est de subsecutivis formis, mutatis pro augmine partium. Ipse etiam Lambinus, acutus ille, licet in 2ª editione *formarum* scripserit, se lectionem prioris editionis *formaï* asserere profitetur.

2, 499. Quamvis, quod Forbiger scripsit: *esse probare* i. e. ita esse ut probari, evinci possit; idoneum profecto sensum praestat, adversatur tamen omnium codicum lectio, *posse probare* scribentium; quae et ipsa satis perspicuam recipit explicationem; hanc nempe: »cui sententiae jam supra docui me non posse assentiri." *Probare* pro *comprobare*, *ratum habere* est; *me* neglectum more Graecorum. *Humanius* ita eos refellit, qui ab atomorum parte stantes, eorum tamen maximitatem defendunt, ceteroquin Epicuri sententiam sequentes.

2, 339. Lectionem vulgatam et ab omnibus receptam: *ut neque finis, uti docui, neque summa sit ulla:* tacite sec. libros Forbiger mutavit in: *ut neque finis ut docui* etc., non videns ultimam syllabam in *finis* esse brevem nec posse produci. Sic 513 initio »finis utrimque tenet summam." Aut *fines* legendum, aut *uti* restituendum, quod praefero, ut haec particula, adverbialiter posita, distinguatur ab *ut*, initio versus copulative adhibita.

2, 455. In ipso versu, ubi desinit Gottorp. codex, cum Vossianis pluribusque ipse exhibet *perculsus;* nec video cur non ex codicum auctoritate hoc verbum recipiatur. *Perculsus* quidem substantive apud bonos auctores non reperitur sed semel tamen legitur apud Tertullianum (de Anima, cap. 52), assiduum Lucretii imitatorem, quem verbum hoc rarum a dilecto poëta desumsisse non est incredibile. cf. Haverc. ad 2, 531 *protelo.* Et omnino aptius est hoc loco verbum,

quo motus rapidior et protrusio glomeraminum denotetur, quam lenius vocabulum *procursus*.

2, 512. Codices habent non *quin*, sed *in*. *Quin* est conjectura Wakefieldii, *certa et* Gifanii; sed non necessario copula requiritur, si accipiamus, verba: *in rebus — summam;* in parenthesi esse posita, ita ut constructio sit: »quae quoniam non sunt, fateare necesse est etc." Sed vehementer displicet et offendit *reddita*, quod lubenter mutare velim in *sed data;* sic omnis difficultas evanescit. Facile haec verba corrumpi potuerunt.

2, 668. Mirum in modum hoc in versu errat cum Wakefieldio Forbiger scribens: *hinc porro quemvis animantem ex omnibus una*, probansque explicationem Wakefieldianam: »una ossa, unus cruor etc. valent, ossa et cruor tam similia, ut eadem prorsus in animalibus omnibus videri possint; et tamen, utcunque affinia, de principiis toto coelo distantibus componuntur." Hem, hoccine est interpretari! Quam falsa haec sint, luculenter apparebit, si nexum hujus loci cum antecedentibus et sequentibus perspexerimus. Vss. 582-89 ponit: »nil esse, in promtu quorum natura videtur, quod genere ex uno consistat principiorum: nec quidquam, quod non permixto semine constat," i. e. quamvis rem, sensibus manifestam, variis multisque principiis seu elementis constare. Hoc primum illustrat exemplo telluris vs. 590 sqq. ex cujus foecunditate transit ad poëticam descriptionem Cybeles, imaginem foecundae cultaeque telluris referentis; quibus interjectis, versu 650 verbo *itaque* redit, unde digressus erat, et ostendit in secundo exemplo: varia esse principia in quovis genere herbae, in quoque flumine; tertio nostrum affert locum (668-71); quarto utitur exemplo ignis vel nutrimenti ignis in corporibus latentis; et sic ex his exemplis ad cetera concludit, 676 & 78, nec tamen alia exempla (679 sqq.) subjungere negligit.

Ex hisce patet versus 667-71 continere exemplum, quo illustraret, quae 585-86 posuerat, poëta. Ut maximopere diversa et dissimilia, enumerat, hunc in finem: ossa cruorem venas calorem humorem viscera nervos. Quid autem aliud inde probare possit, quam illud: corpus cujusvis ani-

malis constare variis et dissimilibus principiis scilicet ossibus, cruore, venis etc.? Neque aliud sibi volunt verba poëtae, sec. optimos codices restituta.

Primo, codices manuscriptos habere *jam vero* testatur Lambinus, cujus auctoritati cur fides denegari possit, non video, et quum ipsius codices maximam partem cum Vossianis concinant Havercampiusque, *jam vero* exhibens, de iis sileat, Vossianorum accedit auctoritas, cujus gravitatem prae ceteris, post Madvigium, non est, ut pluribus ostendere opus sit. Sic etiam optimi codices (Vossiani, Vind. cod. Vind. fr.) habent *quamvis*, ita ut non opus sit hac in causa statuere Lucretium a recepto usu generis feminini, si *animans* quodvis animal significat, deflexisse. Denique, licet Vossianus alter cum ceteris apographis habeat *una*, vetus Vossianus et codices Lambini (propter hujus silentium) habent *unam*; quod quomodo omissa lineola (unā) in *una* abierit, facillime ratio reddi potest, quum contrarii caussa non appareat. Sed ne *una* quidem aptum est, nam, ut de insolito hujus usu taceam, si, sec. Wakef., ad differentiam animalium unis i. e. similibus ossibus etc. referatur totus locus, tum supervacanea est singulorum enumeratio (ossa, cruor etc.) aut ad singula *unus* repeti debuisset; tum *quae*, versu 670, ad *animantes* referri deberet, quum omni omnino ratione ad ossa, cruor etc. pertineat. His disputatis patet cum Lambino ceterisque antiquioribus interpretibus esse necessario legendum:

Jam vero quamvis animantem, ex omnibus unam,

Quaevis animans constat ossibus, cruore etc. ergo dissimilibus. Jungenda sunt *ex omnibus unam*, significantia »quae ex omnibus, quae eam constituunt, cum sit composita, una tamen est;" quae interpretatio egregie confirmatur libro 2, vs. 267-69:

» *Quod genus in quovis animantum visere volgo*
Est odor et quidam color et sapor; et tamen ex his
Omnibus est unum perfectum corporis augmen."

Nec non hic locus laborat imprudenti novandi, et ἀκρίτως criticum agendi cupidine. Codices enim, de quibus tacet Forbiger, habent *viscere*, solis exceptis Voss. var. lect (quarum tamen in unius literae in medio vocabulo omissione auctoritatem parvam esse quisque peritior concedet).

Jure postliminii redeat *viscere* in suum locum. Primo enim in recepta inde ab Havercampio lectione offendit *quovis* genere masculino; secundo, uti in superiore loco (2, 668), exspectares *animanti*, quod sine ullo periculo scribi potuisset; tertio, *visere* est ineptum in iis rebus, quarum nulla visui patet: odore, calore, sapore; contra *viscere* est aptissimum, tum, ut significetur non de vitali principio sed de materia ipsa sensili agi, tum, quoniam maxime ex interioribus cujusvis animantis partibus (visceribus) odor, calor, sapor proficiscuntur. Sic viscera redeunt 3, 273.

Si haec, de duobus hisce locis dicta, probabiliter sunt disputata, Lucretius liberabitur ab ea negligentia quam Forbiger ad librum 2 vs. 668 tacite ei exprobrat, et non deflectit ab usu communi in voce *animans*.

2, 679-81. In codicibus ita hic locus scribitur:

Denique multa vides, quibus et color et sapor una
Religione animum contingere parato
Reddita sunt cum odore inprimis pleraque dona.

Omnes conjecturas, ad idoneum sensum ex hoc loco eliciendum aut potius corrumpendum factas, dijudicare, non juvat. Plures ad verum accesserunt, quod quominus assequerentur, impedivit codicum neglectio et conjiciendi libido. Proxime a veritate abest Preigerus, qui, vestigiis codicum nixus, recte »contingere parato" retinendum esse putavit; longissime a vero recesserunt et imperite errarunt Wakefieldius iique, qui cum isto faciunt, *color et sapor*, substantiva masculini generis, cum neutro plurali *reddita* conjungentes sine ulla idonea caussa, quum jam in manuscriptis longe ab illis distet *reddita*, quum vel *dona* adjunctum conjunctionem inter se et *reddita* suaderet.

Plures jam viderunt nullum locum esse colori, quippe

cujus nulla mentio fit in exemplo a poëta allato, et inde *color* in *odor* mutarunt, temerarie tamen, quum non pateat, quomodo tam vulgare verbum tamque aptum corrumpi potuerit.

Sed non dubito quin scribendum sit: *est olor et sapor unâ.* Verbum *olor* non invenitur apud classicos sed apud recentiores, qui rarioribus verbis venandis elegantiam sermonis captare student et in sonis haerent, Appulejum, Serenum Sammonicum; et malum proprie odorem significat *olor*, unde Arnobius contra gentes, libro 2: »amara sunt enim elementa vel dulcia: *odoris* sunt alicujus vel *oloris*; ut ex eorum concretione credatis esse partitas in nascentibus qualitates, quibus aut suavitas nascitur, aut sensibus offensio comparatur." Sed quum nulla ratio in nostro loco habeatur aut suavitatis aut amaritudinis, recte noster dicere potuit *olor* pro *odor*, uti versu 683 eadem ratione *nidor* adhibet. Ergo *estolor* in *etcolor* facillime corruptum. Sic igitur totus locus distinguendus:

Denique multa vides, quibus est olor et sapor unâ.
Religione animum turpi contingere parato
Reddita sunt cum odore inprimis pleraque dona.

Inprimis pleraque dona (victima, thus liba etc.) habent (conjunctum cum succo et sapore) odorem, ita comparatum, ut animum inquinet turpi religione (accensus vel crematus, qualis cerebrum turbare solet, in nares admissus). Neminem hodie temporis offensum iri censeo trisyllabo *contingere*, syllaba *ge* dimidium tempus habente. Sic 2, 991 in fine versus »semine oriundi." Atque ita, leni hac emendatione, locus planus fit et perspicuus atque, quod maxime emendationem firmat, aptissime convenit cum versibus insequentibus, ex quibus et ipse odorem veritatis sum odoratus.

2, 698. Lectio *feratur* codicum Voss. non obstat, quominus scribendum sit *ferantur;* sic vs. 694 pro *constant* in iisdem *constet* legitur, unde *constent* (ergo *quia* cum subjunctivo) corrigendum, uti 692 »quo — currat." Sic

etiam vsu 724 ex Vossianis *quia* pro *quod* reponendum, in recentioribus apographis mutatum propter sequentem subjunctivum. Arridet vero: *ex aliis — feratur — ac fruges;* sed non est restituendum id, quod placet, sed quod scripsit poëta.

2, 719. Y habet *quaedam*, Z *quidam* Brit. 2 *quem dum* 3 *eadem. Quaedam*, quod Forbiger edidit, ferri fere nequit. Asseveranter enim poëta loquitur et hinc *eadem* requiritur, quod et antea editum est; sed unde, quum *eadem* nullam difficultatem haberet, *quaedam* irrepserit, dicere non est in promtu, nisi statuatur originem habere ex *hisque eadem* = *hisce eadem. Hicque* erat forma legitima in sacris uti Orellius monet ad Cic. de Leg. 3,11, 28 citans Brissonium; sic in Orell. Inscript. Lat. n°. 2488 »*hoiusque aedis*" n°. 2489 »*huiusque loci.*"

Haec igitur forma prisca Lucretio restituatur.

2, 758. Antiquiores interpretes tacite *at variis* scripserunt, quod Forbiger ex auctoritate codicum tacite etiam in *et* mutavit, sed nullo sensu, quum retinuerit vss. 760—62 qui, ut nexum orationis impedientes, ejici debuissent, tanquam a librariis ex locis libri primi, a Forbigero ad h. l. allatis, inserti. Sed quum in hisce non eadem omnino inveniantur et talibus gaudeat poëta repetitionibus, eos retinere satius est, *at* emendato. Cave vero, ne, uti ex Forbigeriana interpunctione facile fit, vs. 760 »magni quod refert - accipiantque" pro parenthesi habeas: *quod* enim est *quoniam*, *quia* et sic omnia haud omnino male procedunt: *etsi principiis nullus sit color*, *attamen iis sunt variae formae. Praeterea quoniam magni refert — perfacile possis rationem reddere —.* Sed non nego, versibus 760—62 ejectis et *et* servato, melius sensum se habere: *si nullus est principiis color et ex variis formis oriuntur omnigeni colores; facile rationem reddere possis —.*

2, 770. Quid dicam de interpunctione, ; , a Wakef. et Forb. introductâ, quâ omnis omnino sensus intervertitur? Ita enim significarent versus 768—70: nigrum esse mare, cum materia, i. e. aqua, ejus esset permixta et turbata;

sed ex 766 & 7 plane contrariam esse Lucretii sententiam patet. *Materies ubi permixta* etc. arcte sunt jungenda cum sequentibus, et ita est interpretandum: *dicere possis*, *nigrum*, *quod saepe videmus* (scilicet caeruleum est), *mare continuo tale fieri*, *ut album videatur*, *ubi materia ejus est permixta.*

2, 784 & 85. Sensus est: si ex variis figuris quadratum componis, dissimiles hae figurae non obstant quominus omne extra (i. e. tota externa species, quam vs. 787 vocat *res tota*) sit quadratum. Hoc moneo contra aliorum malam interpretationem.

2, 803. Quum optimi codices *alias* videantur habere, illud restituatur, quod et meliorem et apertiorem praebet sensum quam *aliâ* (ratione).

2, 815. Ob vs. 818 *natura coloris* malim legere *colore;* sed non tanti est.

2, 831. Forbiger *distractu'st;* quod *videtur* tanquam *distractus est* posuisse; sed duae elisiones *distractu'* et *'st?* nec color distrahitur, sed id, quod color tingit. Legatur ergo cum Vossianis: *distractum'st* sive *distractum est.*

2, 848. Quum Vossiani videantur habere *halant*, hoc reponendum puto; *qui* enim tam ad *liquorem* quam ad *florem* refertur.

2, 872. Iterum monendum est codicibus Vossianis esse maiorem auctoritatem si in mediis vocabulis aliquid addant, quam si detrahant. Etenim, sexcentis in locis, Y et praesertim Z lectionibus suis ostendunt se descriptos esse ex codice per compendium scripto, idemque affirmare licet de Gottorp. fragmento. Quod igitur solus Y habet *putrorem*; Z *putorem*, non obstat quominus legamus *putrorem.* Nec sensus *putorem* permittit: *putor* enim est foetor, malus odor, olor, δυσωδία, v. g. (ut locum qui alium sensum non permittat afferam) Arnob. contr. gentes 7, p. 222: »sintne diis in voluptate putores, quos neque ipsi sacrificantes ferre nec ingenuae sustinere tractos valeant per spiritum nares." Idem est in *putere*, *putidus*, *putide.* At vero patet hic non quaeri de tetro odore, sed de putredine: res enim putrefacta vermes producit, non si jam

male olere incipiat; ita adhibetur in simili loco 898 *putrefacta.* Etiam vs. 929 ex auctoritate Vossianorum *putror* legendum.

2, 907-918. Versu 909 recte Forbiger ex codicibus revocavit *similes*, sed perperam subintelligit »nervos, venas" ex vsu 905, in quo quum poëta addat »visceribus," quid absurdius quam putare adjectivum masculini aut feminini generis (similes) referri ad omnium generum substantiva. Nempe, *simile* scribens, poëta in animo habuit *partes*, quod sequenti versu posuit. Viscera enim, nervi, venae sunt partes cujuscunque animalis: hae autem ita sentiunt, ut aut sibi proprium habeant sensum (sensum partis), aut similes sint totis animalibus et sensum eundem habeant, quo totum animal gaudet.

Recte praeterea Forbiger vs. 211 legit cum Z: *namque alios sensus membrorum respuit omnis*, nec tamen dignatus est locum obscurum explicare. Quamvis autem Lambinus, aliter legens, a sua explicatione dissentientes *μαίνεσθαι,* rudicule vel etiam ridicule, pronuntiet, ego non omnem furorem esse spernendum ex Platone sciens, sic contra Lambinum construo: nam sensus omnis membrorum, i. e. totalitas sensus, respuit alios (a se diversos, per se exstantes); nec dubito, quin hac in caussa lectotores cum parvulo horum auctore furere quam cum magno Lambino sapere malint.

2, 919-23. Difficili hoc loco iterum iterumque lecto, relecto, animoque versato, unum Gassendum (nec mirum, qui tantus fuerit vir) video sensum loci perspexisse, sic explicantem: »quia licet admittantur et quasi animalia et immortalia simul, tum nullum animalium, qualia jam visuntur, gigni poterit, sui scilicet generis, coalitumve in unam speciem: sed acervus solummodo et congeries variorum animalculorum." Haec summus ille vir, neque huic subscribere ullus dubito, quum et nexus cum superioribus et ordo sequentium aperte illum sensum requirat. Nempe, *quod ut possint*, vs. 920, refertur ad vss. 916 & 17: *poterunt rerum primordia dici et leti vitare vias;* et in sequentibus, vs. 924, eos refutat poëta, qui crea-

tionem hominum etc. explicant per principiorum sensus mutatos. Neque tamen cum hac explicatione pugnat versu 923 lectio optimorum codicum *sicuti denique:* ponatur enim comma post *conveniundo* et intelligatur: homines armenta ferae nullam rem possent gignere, sicuti tamen denique (i. e. ut ultimum argumentum adjiciamus) sentimus, sensibus percipimus, imo sensibus ut percipiamus necesse est. Sed nondum tamen liquet.

2, 928 & 29. Vossiani habent *offervere*, unde lubens legerim: *vermesque ob fervere terram*, praepositione postposita, unde vsu 929 esset scribendum *quam*, (Y, Z quem, Forb. quum). Ita magis conveniunt »*ova* verti in pullos (927)," »*terram* fervere vermibus (928)." Quamvis *fervere*, vs. 41 hujus libri, de re, quae in loco versatur, dictum est, nihil tamen obstat, quominus et ipse locus tali frequentatione fervere, ardere, flagrare dicatur, uti et in Graecis et in Latinis sexcentis exemplis probatur.

2, 937—62. Totus hic locus et uti scribitur et uti explicari solet, nec cohaeret cum antecedentibus et sequentibus, nec inest ei sensus probabilis, nec denique auctoritate codicum confirmatur.

Non cohaeret cum antecedentibus, nam hiat oratio vsu 237 *principiom: nequeunt;* neque erit, credo, quem non offendat subita illa ab infinita oratione (935 & 6 fieri — commutari) ad finitam (nequeunt) transgressio, sine copulâ ullâ instituta; nec patet quomodo vs. 944 sqq., immediate saltem, possint facere ad probandos non-sensus principiorum, in quibus illustrandis pergitur inde a 963.

Neque sensus inest, doctrinae Lucretii aptus, prae ceteris versui 941 *congressa modo*, i. e. si tantummodo congressa sit; nam, sec. Epicurum et Lucretium, maxime *congressus* et *concilium* efficiunt ut res capiant sensum, uti luculenter patet et ex tota doctrina et v. g. ex versibus 1004-9.

Neque scriptura versuum 937-43 nititur codicibus optimis, qui vs. 937 *principio* exhibent et vsu. 941 pro *convenientes*, *convenienti* (ut Havercampius tacite de suis, Lam-

binus expresse de nonnullis saltem, Memmiano forte et Bertiniano, iisque optimis testatur, quam scripturam recte vidit, uti solet, restituendam esse et conjungendam cum *modo*). Etenim vs. 937-62 continent illustrationem et probationem: » non fieri partum nisi concilio ante coacto, nec quidquam commutari sine conciliatu." Et quidem 937-42 probant: non esse sensus ante ipsam animantem, quia, animanti nondum genita, (ita interpretor) materia (unde gignetur animans) etiamnum hic illic dispersa est per aërem, flumina, terras, terrâque creata; [alia animantia; nam *flammaque creatis* (ut contra codices antiquiores interpretes saepe scripserunt, eo consilio, ut quatuor in hoc versu essent elementa) esse absurdum patet, *et* quia de iis sermo est principiis, ex quibus animal gignítur, *et*, quia, si quatuor elementorum auctoritas vindicetur, necessario *creatis* non cum *flammâ* jungendum erit, sed tanquam adjectivum cum aëre fluminibus, terris, et flammâ simul, unde otiosum fiêt.] necdum, apta ratione congressa, contulit motus etc. Haec ultima ita esse interpretanda patet etiam ex perfecto tempore *contulit.*

Tum, inde a vsu 944, ostendit per exemplum ictuum, corpora dissolventium, omnes sensus perire mutatis principiis et loco, positurisque motis, et, postquam ita dixit de ictibus mortiferis, inde a 954 non tamen quemque ictum, qui disjicere corpora minetur, mortem et dispersionem afferre demonstrat; quibus dictis redit ad probationem: nullis gaudere sensibus principia, inde a 963.

Ex hisce patet versus 931—62 unum totum efficere et solummodo per 931—33 cum disputatione: omnia ex insensibilibus principiis constare, inde a 865 usque ad 1022 cohaerere.

Interpretibus prima causa malorum fuit versu 937 *principio*, quod cum conjungere vellent cum *conciliatu* v. 936, a vero lapsi sunt, non videntes *conciliatu*, nude positum, aeque constare atque *consilio coacto* vs. 935, neque, quum generaliter loquatur poëta, opus esse ut principia expresse addantur, tacite scilicet intellecta.

2, 954-62. In hoc loco, ubi Lucretius explicat vim,

cuique corpori naturâ insitam, qua, quodque, quamvis perculsum, »nisi grandior fuerit ictus, quam natura patiatur (vs. 944 & 5), se possit restituere et illaesam naturam recuperare, tria mihi videntur corrigenda partim ob scripturam codicum, partim ob sensum.

Primo igitur vs. 955, omnibus fere codicibus (de Z tacet Haverc.) *reliqui* exhibentibus, hoc videtur reponendum, per diaeresin adhibitum, uti relicuo vs. 1,560; relicuas 4,977; ita ut *vitalis* scribatur *vitales*. Quamvis enim *reliquiae* sensum idoneum praestet, aeque tamen *reliqui* i. e. id, quod motibus vitalibus reliquum est, uti in sexcentis aliis, v. c. reliqua vita i. e. quod ex vita reliquum est.

Secundo, vs. 956 ingenter displicet illud *ingentes*, neque in gratiam redit explicatum: *utut ingentes*. Scilicet, sermo est de »ictu minus acriter oblato (vs. 954), et talis ictus non profert *ingentes* tumultus, quippe quibus necessario corpus dissolvatur, vs. 944-53. Placet contra, quod invenitur in Vossiano vetustissimo (Z): *ingenitos plagae* i. e. tumultus plagae proprios, qui ex plagae natura consequuntur.

Sed magis displicet vs. 960: *quare*, jam inde a Lambino explicatum: *qua alia ratione*, quae explicatio quomodo inde elici possit, me nescire profiteor. Malim equidem, demto interrogationis signo, post 962 emendare: *namque hac re*, pronomine *hic* cum emphasi posito pro: *hac sola ratione*, nec violenta est haec conjectura.

2, 1010. Locus est difficilis, nec profecto satisfaciunt ea, quae ad *penes* defendendum a Turnebo et Lambino sunt allata; attamen temerarium videtur *parum* scribere contra codices (*Pii* enim istos nihili facio), nec commodum est hîc de aeternitate principiorum agi quae jam acta sunt.

Praetervidisse mihi videntur interpretes »quod videmus" fuisse scribendum: »*quod videamus*" si acciperetur pro *quum videamus*, aut *quoniam videmus*, propter praegressum *neve putes;* et quamvis haec rem in poëta non evincant, *videmus* tamen offendit. Sed totum alium sensum

esse pûto quam quem utravis partium, sive *parum* inferentium sive *penes* defendentium, huic loco inesse putarunt.

Etenim sic construas: ne putes id posse residere, manere, penes corpora prima aeterna, quod videmus fluitare in summis rebus et interdum nasci et interdum subito perire. Quid autem illud est? id ipsum, quod vs. 1020 & 21 variis verbis describitur; ut verbo dicam: est forma et conjunctio: haec forma, haec conjunctio, quam in summis rebus videmus, mutari non potest, manere debet penes principia, utut ipsa aeterna; confirmatur nostra interpretatio versibus 1004-1006.

Sensus ergo est: ne putes formam ex rerum compositione ortam, quam in quibuscunque *rebus sensilibus* videmus continuo mutari, nunc nasci, nunc perire; ne putes, dico, hanc formam in principiis rerum, utut aeternis, continuo permanere posse neque conjunctione aut disjunctione unquam posse dissolvi.

Concludit poëta ex conjunctione continuo mutata rerum sensilium ad conjunctionem continuo mutatam principiorum quae sensibus percipi nequeunt.

Haec quum jam scripsissem, in *Diariis Antiquitatis* vidi eandem fere interpretationem, a viro docto Weil prolatam, et sine ulla dubitatione (quum non de inventionis laude sed de restituendo Lucretii textu agatur) haec suppressissem, nisi argumentum quoddam addidisse et forte distinctius mentem poëtae declarasse mihi viderer. Judicet quisque, uti inter bonos viros agier oportet.

2,1029-39. Neque lectio dum hujus loci, neque sensus, recte sunt constituta. Havercamp enim, ipse Lambinum sequens, licet de Z lectionem, a Forb. receptam, affirmet, de Y tacet, quod, si idem invenerit in Y, mirum, cur tacuerit, sequenti versu lectionem ejus *quaeque*, pro *quemque*, expresse memorans. Praeterea Lambinus, qui edidit:

Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paullatim; ut coeli clarum purumque colorem —

testatur se ita invenisse in omnibus libris veteribus i. e. mstis, omnibus libris i. e. editis alteram lectionem praebentibus. Quum autem lectio, a Lambino constituta, sit valde speciosa, quidni, si libri illi nusquam essent, *et* mendacium *et* inventionis laudem penes se retinuit? Attamen, quum haec sint incerta, constat optimum codicem Z esse sequendum. Sed qualis est ista interpretatio, quam docilis, magistro Wakefieldio, Forbiger profert: principio coeli nitor, deinde sidera, tum luna, denique solis fulgur!!

Non opus est, ut ista poëtae extorta esse intelligenti Lucretii lectori probem. Patet orationem esse *ἀνακόλουθον*; *principio* esse referendum ad *poterat* vs. 1035, cui opponatur *nunc primum* vs. 33; et explicandum esse: *initio*, *quum primum gentes coelum viderent.* (*Coeli* enim ita est collocatum, ut et ad *principio* et ad colorem referatur). Quum propter vs. 1029 instituisset sermonem ita poëta: *coeli colorem* (mirati sunt); haec constructio fuit turbata, interjectis versibus 1033 & 34; inde *colorem* — *nitorem* repetuntur versu 1035, collecta in: *his rebus* i. e. *colore* — *nitore.*

Sed praeterea versu 1031 quid hoc est; *sidera in se cohibere colorem;* quis hoc Latinum esse dixerit aut omnino verum? Imo restituendum ex Y *quaeque* et pro *cohibent* emendandum *cohibet;* supple *coelum.* Coelum enim in se cohibet sidera. Denique vel ad nexum orationis servandum, flagitantibus Y Z, reducatur *lunaeque*, injuriâ a *lunae* ejectum in versu 1032.

Etsi audax est hujus loci anacoluthia, elegantissimam tamen eandem esse judico unamque ex multis optissimam nobis praebe e exemplum, *et* unde oratio turbata originem plerumque repetat, *et* ubi maxime possit quin et ubi quodammodo debeat ab eleganti scriptore adhiberi Etenim, vel in sermone quotidiano, tum maxime habet locum, quum, in oratione paullo concitatiori, vel una cogitatio ampliorem habet ambitum vel singulae cogitationes celerius in animo scriptoris connectuntur, quam ut unius continua orationis flumine proferri possint, quae simul cogitatione comprehenduntur. Ita, naturae convenienter, anaco-

lutbia tum semper, in animo saltem, oritur, ubi simul et nexus cum antecedentibus et progressio ad sequentia uno obtutu scriptori obversantur; *tunc* vero aptissime hanc animi conditionem etiam forma orationis exprimet. Horum omnium pulcrum nobis exhibet hicce locus exemplum.

Denique vs. 1038 in constructione explicanda nec cum Wakefieldio, nec cum Orellio, nec cum Censore Jenensi faciendum videtur, sed *quam* conjungendum cum *videndi: quam videndi satiate fessus nemo.* —Jam Lambinus *quam* cum *videndi* conjunxisse videtur, nec, licet durum censeat, improbat, quin ita explicat ipse ad libr. 2 vs. 5.

2, 1047. In loco multum agitato variaque ratione tentato liceat mihi sequi auctoritatem Vossiani alterius (Y), *sit*, *quo volet ipse* praebentis, et codicis Vindob., post Vossianos inter omnes optimi, idem referentis omisso *sit.* Ergo:

Quid sit ibi porro, quo prospicere usque velit mens
Atque animi jactus liber sit quo volet ipse.

i. e. quaerit, quid sit extra moenia mundi, quo usque mens velit prospicere et quousque animi jactus sit liber, quo ipse volare possit. Nam recte quidem Forbiger sensit oppositionem inesse, sed non recte, *prospicere* et *penetrare* sibi invicem opponi.

Scilicet ex ipsis verbis patet inter se opponi *mentem* et *mentis* seu *animi jactum;* porro *velle* et *liberum esse* seu *posse.* Nempe *mens* quidem cupit prospicere extra moenia mundi, et *animi jactus* (animus injiciens apud Ciceronem, ἡ φανταστικὴ ἐπιβολή Epicuri) potest eo usque penetrare. Ita explicans, aliquam saltem lucem obscuro loco affudisse mihi videor.

2, 1058-63. Valde displicet »*naturâ factus*" nude positum; etenim si dicere voluisset poëta, mundum non esse factum a diis, scribendum ipsi fuisset *a Natura*, tanquam persona Diis opposita. Legendum censeo: »naturâ factus, ut ipsa; i. e. orbis terrarum ita naturâ sua est compositus, dispositus, ut ipsa semina sponte sua coaluerint.

Ut denotat modum, quo mundus factus est: orbis ita factus est, ut pateat semina sua sponte coaluisse. In versu 1062 negligitur auctoritas codicum. Nam pro *fierent*, Vossianus vetus exhibet *fluerent*, quod, quum hic codex saepe quidem omittat, sed raro addat, non parvae auctoritatis mihi esse videtur, praesertim quum uterque Vossianus, pro *exordia*, *ex ordine* praebeant. Hinc non abhorreo a lectione: *magnarum rerum fluerent ex ordine semper*, ita explicanda: orbis terrarum ita est compositus ut pateat semina post varios casus coaluisse ea, (i. e. in tales formas, quales nunc rebus adhaerere videmus) quae, utpote repente conjecta, semper fluerent (i. e. mutarentur, nascerentur, perirent) ex ordine magnarum rerum i. e. secundum eum ordinem, quem magna elementa, terra, mare, coelum, in suis mutationibus servant.

Uti hic *fluere*, sic 1011 *fluitare* adhibetur de perpetuis illis mutationibus quibus res omnes mundanae sunt obnoxiae.

Haec natura Vossiani veteris cogit me in 3,219 cum hoc Codice legere *et toto*. Sic efficacius et plenius exprimitur indubitata mors et perfecta ab omni parte secessio animi, quam si vulgata retineatur. Haec tamen subtilitatis nimiae esse videantur, nisi, quae de Vossiano veteri dixi, animadvertantur; sed huc tamen etiam referre nos videtur omissio voculae *e* in Mus. B. 2, non ita facilis si *e* esset legendum, sed minus miranda in voculicillo *et*. Hac Vossiani veteris natura maxime denique confirmantur ea, quae ad 2,668 diximus de restituendo *viscere* in 3,267, ubi vel Lambini codices concinere videntur cum Vossiano. Ut *decedere toto corpore*, sic 3,330 & 31 *corpore toto extrahere.*

2, 1103. Duo sunt, quae, propter lectionem codicum *quod*, in mentem revocare velim. Primum enim ipse *deus*, si nocentes impunitos dimittat, non praeterit eos telo, sed *telum* ipsum praeterit nocentes; sed, si vel hoc fieri posse concedatur, quod non nego, secundo, si *deus* suppleatur ad *praeterit exanimat*, necessario requiritur subjunctivus; continent enim haec verba continuationem praecedentium

disturbet saeviat, et hypothetice dicta essent, scilicet: quo telo deus, si esset, qui faceret, praeteriret nocentes etc. Legatur ergo: *quod*.

2, 1116. Summopere miror quod Forbiger, Wakefieldium secutus, reposuit *denique*, cui nullus est locus. Etenim *denique* hic non aliter possit tolerari quam in enumeratione: primum, deinde, denique; nam si *perduxit* referatur sic, ut significet *ultimum finem naturae*, quis non videt hanc cumulationem, jam positis *finem perduxit*, plane esse otiosam? Sed enumerationi nullus est hic locus, neque ad quampiam rem ista expedit.

Recte vero *donicum* = *donec* (vid. Lambinum multum de hac voce ad nostr. locum) sese habet. Eousque enim (significat poëta) humor accedit humori, terra terrae, igni ignis, aetheri aether, omni re particulis sui generis accedentibus crescente, donec natura rem ad fastigium perduxit, uti viro contingit maturo qui ad suae naturae perfectam pervenit aetatem; quae ipse explicat vs. 1122 sqq.

Non tantum vero sensus sed optimorum codicum fides *donicum* reducere videtur. Nam quatuor codices Lambini habebant *donicum*, uti et Vossiani, si Havercampius tacendo consentit, quod probabile, quum Vossiani in plerisque cum Lambini codicibus praesertim Bertiniano et Memmiano concinant. Et vel Nonius loco a Forbigero laudato non *denique*, sed *donicum* exhibet, si fides sit Lambino, ad quem ipse Forbiger provocavit, ut *perfica* restituatur.

2, 1128. Ex Vossianis restituatur *fluere ac decedere*, quod et melius huic loco convenit, nec obstat vs. 1119, ubi, ne versus sit spondiacus extra necessitatem, *atque accedat* apte ponitur; nam variat saepe Lucretius in verbis, ut mea faciam, quae Forbiger ad 1125 contra Orellium monuit.

2, 1139. Hic versus, a Forbigero uncis inclusus, omnino e textu eliminandus est. Primo enim in optimis codicibus et Lambini et Vossianis non reperitur; secundo, nullum praebet sensum; ut quis enim sensus aut, ut accuratius dicam, quaedam constructio appareret, verbum *suboriri* 1138 causativâ significatione sumi deberet, quod nulla potest

ratione fieri; tertio, facillime ortus est, uti jam ab aliis monitum, ex vs. 1150, ansam dante illo *tantum* vs. 1138, cui necessario per *quantum* respondendum esse, imperite scioli librarii putarunt.

Sed ulteriore indiget explicatione hicce locus. Patet vs. 1138 verbo *queant* subjiciendum esse *aestus* ex versu superiore, quo facto *tantum* pendet a *suboriri*, quod, uti jam dixi, non potest, ni sensus perit. Ita enim versus 1138 significaret: ex quo cibo aestus tantum possint suboriri facere et suppeditare; quod absurdum; aestus enim i. e. sudor, exhalationes etc. quae in diem corpus humanum minuunt itaque compensari debent novis alimentis, non faciunt aliquid suboriri sed ipsi suboriuntur ex re, uti praeterea diserte versu 1137 dicitur. Legendum ergo videtur *queat*, et subjectum putandum *tantum*, *suppeditare* intransitive adhibito, uti etiam in multis aliis a poëta fieri solet.

Versibus igitur 1136--38, cll. 1149 & 50, haec significantur. Corpus adultum neque amplius crescens cito decrescit, nam *et* difficulter cibus, unde particulae decedentes instaurantur, per venas dispergitur, *et* hicce cibus ne satis quidem est, ratione habita largorum aestuum, quos res exaestuat, ut inde (ex hoc cibo) tantum (sc. quantum requiritur ad largos istos aestus compensandos) possit suboriri.

Pro in *proquam* (uti malim conjunctim scribere) valet idem atque v. g. in *pro temporibus illis* i. e. ratione habita temporum; est igitur *pro ea ratione*, *qua*. Eadem significatione adhibetur *ut*, quod animadversum a viro docto Siebelio in Q. L. p. 25 cujus allatis exemplis addatur Ciceronis in Bruto »ut temporibus illis" cf. Ellendt ad. h. l. § 28. Ea significatione, quam exhibuimus, invenitur *proquam* libro 3° vs. 200:

»Igitur parvissima corpora proquam,
Et levissima sunt, ita mobilitata feruntur."

i. e. pro ea ratione, qua corpora sunt parvissima et levissima, pro ea ratione (ita) vigent mobilitate i. e. quo minora et leviora sunt corpora, eo mobiliora.

Sed ita etiam *proquam* restituendum censeo in libro 6 vs. 11, ubi a Forbigero cum vulgatis editur *per quae.* Sed nemo non videt *παρέλκειν τά et per quae*, si, uti necesse est, construas: *omnia et per quae — esse parata*, unde, et ob alias causas, versum huncce delendum censet Lambinus summus ille et acutissimus Ciceronis, Horatii et Lucretii interpres. *Per quam* habent Vossiani, et idem diserte de Memmiano testatur Lambinus; Voss. margo habet *proquam*, uti et Cant. Etiam huic loco *proquam* restituatur, et comma pro semicolo ponatur post *tutam:* ita et aptissimus est versus 11, et ingratum asyndeton: *omnia esse parata, divitiis affluere homines;* tollitur.

Dicit poëta: omnia hominibus esse parata et, pro ea ratione qua tutam (a bellis, discordia, metu etc. liberam) vitam sibi comparare possint, divitias abundare hominibus, i. e. homines eo ditiores fore et *εὐτεκνοτέρους*, quo magis tutam et securam, ab Epicuro praeceptam, vitam stabilire possint.

2, 1162-64 Vir doctus Siebelis in Q. L. legit, p. 34-39:

Conterimusque boves et vires agricolarum
Conficimus; ferrum vix arvis suppeditat vi:
Usque adeo parcunt fetus augentque laborem!

Suppeditat vi et *laborem* ex conjectura, libris praebentibus *suppeditati* et *labore.* Recentissime vero vir clar. Bergkius in progr. Marb. 1846—47, videns illud *vi* languere, utpote supervacaneum fere, ad sensum sane melius, sed satis audacter, proponit: *ferri vix arvis suppeditat vis.* Sed in utriusque conjectura ingratum est in medio versu post *conficimus* asyndeton, ipsumque illud *conficimus* cum *vires* conjunctum offendit, quum ita rectius diceretur: conficimusque boves et vires agricolarum conterimus; animalia enim magis vires conficiunt quam agricolae, sibi prae animalibus parcentes.

Si ergo in loco jam a viris doctis et peritis tentato vires juniori periclitari liceat, lubens legerim:

Conterimusque boves et vires agricolarum
Conficimus, ferro vix arvis suppeditanti:
Usque adeo parcunt fetus augentque laborem!

Corruptio tota orta est compendio archetypi, sic exhibentis: *ferro — suppeditāti:* librarius vero legit: *ferrō — suppeditati*, lineola translatâ. Sic omne asyndeton perit, causa erroris patet, restitutio nobis *suppeditat.*

AD LIBRUM III.

3, 8. Restituendum cum antiquioribus interpretibus *ac fortis equi vis*, non *et fortis equi vis*, ut tacite edidit Forbiger. Construas: *consimile ac fortis equi vis* i. e. quod simile esset vigori fortis equi.

3, 22. Stupere subit caecitatem Forbigeri, qui, codicum optimorum lectionem et Vossianorum et Lambinianorum (uti ex eorum silentio alto certo certius concludere licet) aptissimam *integit* contemnens, Wakefieldium ducem sequi maluerit, ex nullius fere pretii apographis *integer* intrudentem, quod abundat. *Integer* enim *aether* nihil aliud est quam *innubilus aether.* Sedes deorum describuntur; quarum felicitas summa ut describatur, omnia bona coeli terreni illis adjudicantur, omnia mala denegantur. Ita semper *innubilus aether* deorum sedes *integit*, uti contra, in terris saepe, coelum nubibus, nimbis, ventis turbatum, terras, *hominum* sedes, obscurat.

3, 26. Lambini libri manuscripti, ipso testante, praebent *dispiciantur*, uti et Vossiani; Preigerus enim *despiciantur* Pio acceptum referre dicit variantes lectiones: ergo Vossiani non habebant illud.

Sed praeterea, quamvis Preigerus eximie *despiciantur* laudet, speciosiorem illud, quam veriorem, praebet sensum. Scilicet, non tantum ex sententia Lucretii omnia *in* terris conspici possunt sed et infra *per* terram discernere licet quae sub pedibus geruntur, ita ut acies oculorum per terram quasi per vitrum pellucidum penetret; atque hinc sensui multo magis est adaptatum *dispiciantur* quam *despiciantur*.

3, 28. Restituatur invitis viris summis – Gronovio (*ibi*) et Lambino (*tibi*) legentibus lectio codicum *ubi*, pulcherrima, poëtaque, phantasia abrepto, dignissima. Nempe, quum dicit noster per tellurem aciem mentis penetrare et, in abysso quae fiant, discernere posse, poëta jam in medio illo inani versantem se fingit, atque ibi, immenso illo spatio mente percussâ, horrore sacro sed menti grato correptum proponit. Tellus, inquit, non obstat quominus sub tellure in inani versantia discernantur; ubi (sc. in hoc inani, quo se delatum esse poëta inspiratus credit) haec omnia oculis videntem voluptas me percipit atque horror. Phantasma hoc pulcrum, sublato *ubi*, quidquid restituatur, omnino tollitur, uti magni illi viri fecerunt, phantasiam poëticam Lucretii (pace venerandorum manium dictum esto) non assequentes.

3, 98. Lambinus de hoc versu, qui in Vossianis et plerisque ceteris deëst, altum tenet silentium, unde recte concludas eum in suis codicibus hunc versum invenisse, quia talis omissio gravior est quam ut tacite praetermittatur. Si haec sunt probabilia, differentiam hîc videre licet codices Lambini inter et Vossii et, quum, quidquid Wakefieldius dicat, versus ille abesse non possit, neque ad lacunam plurium supplendam intrusus esse videatur, aut Lambini codices Vossianis praestare, aut saltem diligentius ex archetypo descriptos esse statuas.

Ἀκρίτως autem illi videntur mihi facere, qui, in referendis codicum lectionibus, ex auctoritate arrogantis et, quamvis severe, non tamen injuste a Madvigio castigati Wakefieldii, auctoritatem Lambini, viri elegantissimi, acutissimi et, si quis alius, linguae Latinae intimâ cognitione

instructi, vilipendere conantur, nimium freti horum temporum excultiori antiquitatis studio. Ceterum animadvertendum est Lucretium nec sibi hoc in loco constare nec cum ipso Epicuro convenire. Prius patet ex 2,217 ubi animam dicit esse sparsam »per venas, viscera, nervos" et maxime ex 2,324: » haec igitur natura (animae) tenetur corpore ab omni; posterius patet ex dogmate hoc Epicuri: *ἡ ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερὲς, παῤ ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον.* Sed haec inconstantia oriri videtur ex confusione *animae* et *animi;* de illa in locis allatis magis cogitat poëta, de hoc in nostro loco solummodo quaerit. Hanc vero esse distinctionem non in diversa horum natura collocatam, sed ex altioribus humilioribusve animi operationibus petitam, patet ex 3,137 & 8: » Nunc animum atque animam dico conjuncta teneri Inter se, atque unam naturam (*ψυχήν*) conficere ex se."

3, 101. Nulla est ratio cur a codicum lectione *quod* deflectamus. *Quod faciat nos vivere cum sensu* referuntur ad actionem harmoniae, itaque recte neutro genere pronomen ponitur.

3, 155. Recte Lambinus legerat, suos secutus codices: *sudores itaque et pallorem*, neque aliter exhibetur in Vossianis, nisi quod *et* omittitur, quod tamen saepe in hisce codicibus omissum est, ubi necessario requiritur; v. g. 2,146 Voss. » sapit, sibi gaudet." *Itaque* pro *et ita* tum apud Lucretium, tum apud alios est usitatum.

3, 174. Quamvis lectio codicum explicationem sibi habeat, languet tamen in hac descriptione, brevitate et praegnanti omnium vocabulorum significatione insigni, istud: *qui gignitur.* Levissima mutatione scribendum censeo:

» *et in ferramentis qui gignitur aestus.*"

i. e. et aestus, qui gigni solet in ferramentis i. e. vulneribus ferramento illatis. *Ferramentum* apud Lucretium non alio loco invenitur, sed apud optimos scriptores adhibetur pro gladio telove, apud Varonem, Ciceronem, Livium, Tacitum. Contracta illa dictio: qui in ferramentis gignitur;

aptissime cum totius loci brevitate concinit. Ferramenta sunt eadem, quae vs. 177 »corporea tela" vocantur.

3, 180. Archetypum codicum Lucretii compendio fuisse conscriptum, luculentissime patet ex vocabulo *aio*, quod in Bodl. Mus. B. 2, scribitur *animo*, procul dubio, quia librarius *aio* compendium habuerit: *a. i. o.* pro *animo*. Hoc vero maxime patet ex Gottorpiensi fragmento, ubi saepe v. c. media litera *n* omissa est, et ex Vossiano veteri, inter alia saepe *et* aliasve voculas, uti 160 »animi vi" (vind. Vossianus uterque *animi* solum) praetermittentis; ita et 2,204 Voss. uterque omittunt *est*.

3, 184. Rectissime sese habet *si*, sed luculenter errat Forbiger in interpretatione. *Si* enim significat *in iis causis in quibus*; et ab omnibus factis, quae aut casu fortunaque, aut natura, aut animo, aut alia quacunque ratione fiunt, ea seliguntur, quae vim impellentem habent animum. Simpliciter ergo explices: »inter omnia facta, nulla tam celeriter fiunt quam ea, quae mens fieri proponit et incipit."

3, 201. Quum Codex Vaticanus liberque Memmii (Lambiniani) Vossiani et Vindobonensis habeant: *mobilitata feruntur*, satis adest auctoritatis ad hoc reponendum. Quamvis enim vulgata faciliorem sensum praebeat, nec tamen *feruntur* hoc loco, ubi de motibus elementorum agitur, incommodum est, nec quid commune habet 3,558, a Forbigero allatus, qui et aliam naturam et in deterioribus solum codicibus habeat scriptum »feruntur." Confirmatur lectio codicum comparato vs. 203, ubi *stabilita* opponitur τῷ *mobilitata*, *sunt* τῷ *feruntur*, ubi eodem jure »eo stabilita magis sunt" in »stabilitate fruuntur" mutare posses, nisi ibi et *sta* breve obstaret, et, quod majus. insania mutandi in oculos magis incurreret. *Mobilitare* invenies et vs. 249 cf. annot. Forbigeri.

3, 255 & 56. Lambinus in suis libris scriptum esse »usque adeo vitae desit — diffugiant" diserte testatur, quae verosimiliter etiam in Vossianis inveniuntur. Licet ipse in editione sua post *adeo* interpolaverit *ut* (Havercampio

sequente), recte tamen dicit ex scriptura codicum sententiam optimam posse elici. Nempe subjunctivi *desit*, *diffugiant* pendent a *quin* vs. 254. Ut brevi sensum horum et nexum cum superioribus demonstrem, haec sibi vult poëta: si dolor et acre malum ad extremitates corporis penetrant, omnia perturbantur, quin etiam (usque adeo, i. e. ad illud usque fastigium malum crescit) locus deëst vitae et sic partes animae diffugiunt e corpore. Sic comprehensio verborum est rotunda, periodus finita et nexus cum sequentibus arctissimus; in lectione contra sive potius conjectura Forbigeri, parvi momenti codices sequentis, licet idem sit sensus, abrupta est oratio, et ingrate vss. 255 & 56 a conjunctione cum antecedentibus divelluntur, unde tamen pendent, quorumque effectus designant.

3, 306. Imperite et incogitate secutus est Forbiger Wakefieldium, edentem *vaporis*, quum non tantum sec. alterum Vossianum, Lambini codices, omnium antiquiorum consensum, sed et sensu postulante *pavoris* sit legendum. Etenim, sec: doctrinam Lucretii de animo, animi animaeque quatuor sunt partes, quae connumerantuur vs. 270-72:

» *Sic* calor *atque* aër *et* venti *caeca potestas*
Mixta creant unam naturam et mobilis olla
Vis, *initum motus ab se quae dividit ollis.*"

Mobilis illa vis (consilium, animus, mens vs. 139-43) est animae quasi anima (vs. 276-82); ceterae partes, ventus, aër, et calor, sunt commixtae per artus corporis et in aliis hominibus animalibusve aliud horum dominatur (283-5). Ex animalibus, in *leonibus* dominatur calor, unde *leonum ira* (297-299), in *cervis* ventus (300-302); in bubus calor et ventus sunt aequales. Ipsorum natura neque incenditur irai face (calore) neque torpet telis pavoris gelidis (ventosis vs. 300) i. e. vento. Ergo *vapor*, si legatur, debet significare *ventum;* sed contra *et* vapor *semper* adhibetur sensu caloris, uti vapor solis, *et* hac eadem significatione in hac ipsa partium animi enumeratione in-

venitur (vs. 232-37), ubi aura (ventus) vapor et aër enumerantur, et mox (235) loco vaporis calor ponitur; sic 3,340 »aqua dimittit vaporem."

Quam apte *pavor* adhibeatur, comparatis bobus cum cervis (uti in praecedentibus cum leonibus *irai fax dicitur*) non est ut demonstrem pluribus.

3, 290. Non laudo nimiam religionem qua Eichstaedtius, et secundum eum Forbiger, ex libris retinuit *acrius* prae eleganti et vix aut ne vix quidem addubitanda Lambini emendatione *acribus*. Etenim *acribus* ne deflectit quidem a codicibus qui, ut pluribus in locis monitum, ex archetypo per compendium scripto, neglecta lineola, *acrius* exhibent.

Praeterea *acrius* esset explicandum *nimis acriter* nec tamen hic aut in sequentibus, historice referenti, poëtae culpandi locus est, ut qui loquatur de animalibus (aliud est, ubi de hominibus, 308-19). Deinde comparativo retento, exspectares *acrior ardor*. Si quid enim, ardor nimius est culpandus, non ratio, qua in oculis se manifestat.

Denique non tantum Virgilius, hunc locum in rem suam vertens, scripsit *acribus*, sed apte etiam attulit ex ipso nostro Creechius vs. 295 »acria corda" cui adde ex eodem loco de calore animi vs. 312 »iras acres." His omnibus perpensis nulla, me judice, relinquitur dubitatio.

3, 310. Lugdunenses aliique, testante Havercampio, exhibent *natura;* et non tantum *animae* scriptum esse videtur in ipsis his Lugdunensibus, sed et in Lambini codicibus. Gifanius enim, *animi* scribens, addit: »hoc ex veteribus quibusdam malui. Alii: animae." Auctoritas Gifanii in referendis codicum lectionibus nulla est, ut cuique, in re critica Lucretii versato, pernotum est; per *alios* autem videtur innuere Lambinum, neque *hac* in re fides ei denegunda, quoniam non tantae impudentiae Gifanium, utut manus ab alienis non temperantem, accusare aequum est, quasi ipse, quod Lambinus palam scripsisset, sibi adjudicarit. Sed non tantum codices sed et sensus postulat ut scribatur: *Natura cuiusque animae vestigia prima.* Quum vero librarii deteriorum apographorum, *natura* pro ablativo habentes, sensum loci non perspicerent, in *natu-*

rae mutarunt. Sed *natura* est nominativus, ad quem pertinet *olla* versu antecedente. Producitur ultima syllaba brevis in versu propter caesuram, cujus apud optimos quosque poëtas nec non apud Lucretium nostrum exempla, quamvis rariora, invenias. Sensus est: »illa natura cujusque animae (i. e. ingenita illa natura, qua alii ad iracundiam, alii ad metum, alii ad medium inter haec sunt propensiores, 311–14) relinquit, utut doctrinâ polita et tecta, semper vestigia prima, vestigia quae ab origine inhaerebant." Qui *animi* scripserunt, non attenderunt, sec. Lucretium calorem (iram) ventum (metum) aërem ad animam pertinere, atque ita eleganter hoc in loco sibi opponi *animum* doctrinâ politum et *animam* quae immutata maneat, neque semper dometur animo. Horatii notissimum: »naturam expellas furca, tamen usque recurret."

Admirari hîc cogitur nostrae aetatis homo dexteritatem Epicuri, qui, licet veram animi naturam ignoraret, vanisque fundamentis psychologiam superstruxisset, vulgaribus licet istis erroribus de abstractis animi facultatibus imbutus esset, accuratam observationem et magistram optimam experientiam applicuit ad suam doctrinam, eo consilio, ut talibus exemplis hanc commendaret probaretque. Sed brevi hoc annotasse sufficiat speranti fore, ut, Deo adjuvante, in alio elaborato opere de his similibusque ad psychologiam pertinentibus quaestionibus amplius tractem.

3, 322. Non persuadet Forbiger emendationem vulgatam *dictis* firmans multis locis citatis, quibus nihil probat nisi forte hoc, saepe *dictis rationem reddere* et similia esse dicta a poëta. Illa mihi praeter omnes conjectura ridet Lambini, *doctis*, quae et optimum praebet sensum nec debile accipit fulcrum ex loco Ciceronis, a Lambino allato. Sed tamen non video quomodo, si *doctis* scripserit poëta, illud in codicibus mutari potuerit in *noctes* (Voss. vet.) aut *noctis* (Voss. alt. Bodl.). *Noctis* retinere malim, in quo interpretando prope quidem a veritate abesse videtur Turnebus, *rationem noctis* ob Graecum vocabulum *εὐφρόνην* explicans per: prudens consilium; sed contorte tamen et obscure. *Εὐφρόνη* autem videtur dicta nox ab amoeni-

tate; nox quae mentem delectat, uti Sanscritice eadem *ramjâ* i. e. amoena dicitur (delectans amabilis).

Sed unde imago haec noctis poëtae in animo surgit? Libro 1 vs. 143 sqq. Lucretius declarat se »*noctes* vigilare *serenas*, quaerentem dictis quibus et quo carmine demum clara Memmi possit praepandere lumina menti" (ipsa ferè verba sunt poëtae. Neque aptius sane in plagis illis meridionalibus tempus est philosopho, quo meditetur, inque se totus conversus cogitationes disponat atque componat; ab humanarum rerum turbis semotus, coelo stellis fulgentibus distincto, unico eoque satis idoneo comite, cogitata expromat; animo, sine ira studioque, res divinas et humanas contempletur; —'quam εὐφρόνη, illud beatum beatarum illarum regionum tempus, quo pellectus, etiam Gellius suum opus nomine Atticarum noctium insignivit. Si autem, verbis suis convenienter, opus suum de Rerum natura, cujus materia adeo naturae placidae atque sublimi erat accommodata, *noctu* perpendit, elaboravit, composuit poëta; quid obstat, quominus et hic per *rationem noctis* significare voluerit mentis perspicuam penetrantemque meditationem, quam nox excitat, vel in animis rudibus adeoque vanitati perturbationum totis deditis? Huc etiam spectant versus 317–19, quibus innuere videtur Lucretius se frustra conatum fuisse innumerarum illas animorum humanorum differentiarum varietatumque causas indagare; cujus delusi conaminis consolationem versibus 320–23 purus poëtae animus praebere cogitur.

Hic igitur est sensus horum versuum (320–23).

»Quamvis animi meditatio, nocte clara excitata et purificata, vestigia omnia animi aut nimis agitati aut nimis depressi nequeat delere, haec tamen vestigia adeo parvula remanent in animo viri ardore veritatis virtutisque incitati, ut ipsum non impediant, quin diis dignam agat vitam." Tenendum omnino Lucretium his praeceptis hoc sibi proposuisse, ut homines docendo et excolendo ad puritatem animi adduceret quae ipsos idoneos redderet ad beatum agendam vitam; ita ut *quae ratio nequeat depellere noctis* sibi velint: quae prudentia mea consilia, nocte excitata ne-

queant expellere ex hominum animis, quamvis docilibus (1).

3, 340. Tollatur omnino distinctio post *aquae*, a Forbigero ex Wakefieldio translata, nam, usque ad *incolumis*, omnia pertinent ad humorem aquae, uti vel demonstrat *ipse* (341), neque aptum *corpori* (338) neque *artubus* (343).

3, 348. *Ut* nullo in codice invenitur, et salvo omnino sensu abesse potest, vel Forbigero invito, modo distinctio versuum 346-48 mutetur. Praeiverunt in vera interpretatione Turnebus et Havercampius. Plenissima distinctio ponenda post *motus* (346), semicolon tollatur post 347. Inde a *maternis* novum argumentum incipit. »Corpus et anima non magis possunt divelli quam mater et foetus." *Reposto* i. e. partui, in utero reposito, est dativus commodi, qui dicitur. *Nequeat* i. e. non est ut fieri possit. Caetera quid memorem! lassus requiesco - vel unus.

3, 351-59. Nondum plane et perspicue ab interpretibus horum sententia est prolata, unde illae lacrimae de versibus subdititiis (vs. 358 a Lambino 359 a Forbigero aliisque).

Videamus. Ex vss. 334-37 manifesto patet sec. Lucretium neque corpus solum, neque animum solum sentire sed ex utriusque conjunctione sensum oriri. Ergo corpus aeque sentit atque animus, animus aeque atque corpus. Animum vero sentire quisque concedit; corpus vero sentire, multi negant. Hos ergo refutat, refutare debet poëta vs. 351-59.

Magna est confusio inter interpretes orta ex varie accepta significatione verborum: *corpus sentire refutat*, quae nonnullis conjicias significare *refundit*, *respondet*, *objicit illud: corpus sentire;* ita ut in sequentibus *animam susci-*

---

(1) Ratio noctis. Vir illustrissimus, Goethius, Theil 1, p. 107:

Nachts, wann gute Geister schweifen
Schlaf dir von der Stirne streifen,
Mondenlicht und Sternenflimmern
Dich mit ewigem All umschimmern,
Scheinst du dir entkörpert schon
Wagest dich an Gottes Thron.

cipere sensum significaret: *ad animum a corpore transferri sensum, uti suscipitur mandatum, ab alio traditum.* Sed ex iis, quae diximus referentes ad 334-37, patet hanc interpretationem neque sensui communi neque poëtae sententiae convenire. Manifesto etiam refutatur haec interpretatio vs. 360 sqq. Sed praeterea *corpus sentire refutat* talem interpretationem non recipiunt. Accusativus enim cum infinitivo sive infinita oratio notat id quod refutatur, ergo sensus esse debet: *si quis negat corpus sentire et credit e contrario animam sentire.*

Haec si vera sunt, in versu 357 sibi ipse poëta facit objectionem uti praeterea patet ex *at* quod solenne est in tali causa; versus 358 & 9 continent responsum, sic comparatum: » hoc non mirum est, nam sensus non est proprius *corporis* per vitam, sed est res communis inter *corpus* et *animum;* sic etiam praeter sensum corpus multa perdit vita pereunte, v. c. colorem, quoniam non erat solius corporis proprium." Superest, ut dicam cum Havercampio, versu 359 esse legendum *aevum*, quod recte monuit significare *vitam*, uti et versu praecedente. *Aevō* facillime transiit in *aevo*, lineola omissa. Eadem ratione vs. 392 uterque Vossianus, Bodl. habent *ciendo* pro *ciendum*, quod requiritur, sed librarius non potuit conciliare cum accusativo *multa* et hinc lineolam non descripsit. Haud nego equidem ultimum hunc versum, qui deërat in codice Vaticano, non necessario requiri, et ad objectionem versus (357) apte uno versu (358) responderi, sed quum in ceteris omnibus libris et Lambini et Vossii inveniatur, neque quaestio esse possit, quid praetermittere *potuerit* vel etiam rectius *debuerit* poëta, sed quid reapse *scripserit*, hunc versum satius erit retinere, si, quod probasse mihi videor, Forbigero negante, non tantum non miram sed et probabilem habeat sententiam. Critica enim non castigat *scriptorem* sed *scriptum.*

3, 401. Libri omnes videntur habere *facile*, uti et verba Forbigeri involvunt: » Wakefieldium ex codicum (sine dubio Mus. Poor etc. deterrimae notae) *vestigiis* restituisse *facul;*" Nonius antiquissimos laudat scriptores, Ennium, Pacuvium, Lucilium, Varronem etiam, sed quis nescit hunc, ut anti-

quarium, antiquorum, imo antiquatorum, esse saepe amantiorem? Lucretius jam pertinet ad recentiora tempora; nec antiqua, ut antiqua, amabat, neque hoc loco metrum ad desuetam formam adhibendam habebat impellens. Habeant sibi istud *facul*, sed ne poëtae obtrudant Ciceronis aetatis.

3, 422. *Fac*, libris postulantibus, reducatur, cf. adnot. anteced.

3, 442. Licet *quam*, ex nonnullis veteribus editionibus a Wakefieldio et Forbigero receptum, explicationem habeat idoneam, et pluribus in locis talis verborum collocatio in Lucretio deprehendatur, quae primum intuenti confusa videatur, sed arte saepe sit composita (vid. exempla apud Sieb. Q. L. p. 42 - 44), melius tamen lectio codicum *quum* retinetur, praesertim, quoniam *quam* infelicissime positum est post *ejus* (441), quo necessario fere debet referri, nisi omnem vim, in positione verborum sitam, evertere velis. *Quum* cum indicativo neminem offendere debet in re certa et experientiae cujusque hominis quotidianae patenti.

3, 454. Lugd. 1 habet *linguaque mens;* Lugd. 2 (Voss. vet.) et Vossii marg. *lingua madet mens.* Et hoc restituendum: Nam in quibusdam Lambini libris legebatur *lingua animusque* (*que* post *lingua* omisso) quod magis innuit corruptionem lectionis Lugd. 2, quam ceterorum codicum. Sed certa fere fit nostra lectio comparatis vs. 477 & 78, unde vir doctus Preigerus, sed hîc invita Minerva, *madet mens* in textum irrepsisse putat. Namque hunc locum cum nostro comparanti singula sibi respondere patebit: *Claudicans ingenium* et *crura vacillantia*, *delirans lingua* et *tardescens;* quidni et ultima sibi respondeant?

3, 461. Lambini codices, uti optimi ceteri, *dolorem* habebant, quod restituatur; sic etiam paulo post (473) *dolor* ac *morbus* conjunguntur. Offendit forte et *dolor* de corpore dictus, et *durus dolor;* sed, quum et corpus sentiat, aeque atque animus, recte Epicureus *corpus dolere* dicit: vid. 334 - 37, et adnot. nostram ad 351 - 59; neque invenuste *durus dolor* de corpore dicitur, quod ex *labore* maxime dolorem accipit. Forbiger dicit *dolorem* esse interpretationem τοῦ *laborem*, sed contrarium obtinere facile quis statuat.

3, 475. Lectio Vossianorum: *cur hominis*, distinctione post *hominis* posita, mihi videtur restituenda et conjungendum: *cur hominis gravitas* (477), uti 78 *praepediuntur vacillanti*; quum plura sint interposita, poëta (481) repetit: *cur ea sunt.*

3, 491 & 2. Cum Vossianis restitui debet *qua* i. e. *in iis partibus quae morbo*, *alternis vicibus*, *corripiuntur*, *nunc hae*, *nunc illae*: morbus enim est distractus per artus, nec tamen omnes simul excitare potest. Recte jam Havercamp: »*qua vis*, non inepte, respectu ad membrorum inconstantem jactationem; quum nunc manus, nunc pes etc. moveatur." In sequenti versu nulla est idonea causa, cur contra optimos libros *animum* in *animam* mutemus, ipso Lucretio se haec vocabula promiscue adhibere testante (vs. 422-25), et mox tam *animum* quam *animam* memorante. Deinde *spumanti ut in aequore salso*, uti Forbiger exhibet, nec bonorum codicum auctoritate nititur neque omnino commodum praebet sensum. Pars librorum Lambini et Vossianus uterque: *spumans*, *velut aequore salso*, quod miror a nemine huc usque fuisse restitutum. *Spumans* de aequore salso non recte dicitur, sed undae, ventis conquassatae, spumant; *vis* vero *morbi* non ineleganter dicitur *spumare* i. e. *fervere*. Ex hujus verbi translato sensu non sine veritatis specie dicat quis, poëtam in comparationem incidisse *undarum*, ventis huc illuc jactatarum. *Aequore salso* sine *in*, si exemplum in usu trito requireretur, dictum, uti initio libri secundi »suave, mari magno."

3, 521. Apte sane Lucretius dixisset: *ut edocui*, sed quum hoc verbum nusquam alibi inveniatur, in pluribus licet aeque apte adhiberetur, et *uti docui* in libris fere omnibus extet, nullâque sensus difficultate laboret, restituatur vulgata.

3, 522 & 24. Subridere licet cernentibus Forbigerum vsu 522 summâ religione literulam unam in editione tuentem, explicatione Wakefieldii admissa in re, quae a sensu communi prorsus abhorret, quum tamen eidem nullus scrupulus haeserit, quin infelicissimam illam literam *r* verbi *refutatur*, severo vultu, textu eliminaret. *Refutatu* neces-

sario scribitur, sed nonne et hinc vs. 522 literam *s* supervacanee additam esse concludere licet?

3, 530 & 31. Nimia religione *atque* pro *atqui* servat Forbiger. *Atqui* requiritur, nam incipit conclusionem: »vitalis sensus saepe membratim perit; atqui, quoniam ita animus scinditur; est mortalis." Magis dialectice dixisset: »vitalis sensus saepe paullatim dispergitur; atqui ita animi natura scinditur nec integra manet; ergo animus est mortalis."

3, 526. *Disperdere* non tantum Vossianus vetus (conf. ad 2, 1058-63) sed et nonnulli Lambini veteres libri exhibent. Confirmatur porro versu 538 *dispergitur;* nam ibi antecedit: *ut diximus ante.* Nec tamen hinc ducitur legendum esse cum Lambino *dispergere;* quaenam enim est ratio cur abundantiam verborum et variantiam, inter delicias poeseos habendas, Lucretio interdicamus?

3, 552. Recte ingeniosam Isaäci Vossii emendationem in textum recepit Forbiger. Nec tamen *liquuntur* scribendum mihi videtur, sed restituenda lectio Vossianorum librorum: *linguntur.* Nam, uti *secta etenim* facillime ex compendio scribendi in *sed tamen in* abire potuerunt, ita non tam facile patet, quomodo *liquuntur*, verbum Lucretio saepius adhibitum, in *linguntur*, quod ceteroquin apud eum non invenitur, corruptum sit. Contrarium potius statuas. *Lingere*, Graecum λείχειν, rectius et magis poëtice sese habet. Tabes enim per prosopopoeïam dicitur lingere, lambere membra secta, quae putrefieri incipiunt.

3, 557. Non abs re videtur dictum esse: *corporis atque animi vivata potestas — valent — fruuntur* pro: *corpus atque animus, viva quando sunt et valent, valent — fruuntur.* Hinc *potestas* cum plurali. Est rarioris exempli; nam *potestas* non est collectivum.

3, 572. Interpretatio, a Wakefieldio ad codicum lectionem: *animam serit*, defendendam adhibita, a Forbigero probata, nulla ratione potest admitti. Aër enim, si posset fieri, ut animus extra corpus terrestre compactus maneret nec dissolveretur, aër *nec* posset gignere corpus; nam unde adsciсeret? *nec* gignere animam, quippe quae jam extaret et nonnisi conservationem et continuam existentiam, seu

conditiones in posterum existendi, desideraret. Ergo absurdum dixisset Lucretius; quod in poëta tam perspicuo, sensus communis defensore, eoque Epicuri sectatore, (qui ab omnibus, quae sensui communi repugnant, abhorrebat, cujus philosophia tota erat philosophia vulgi) minime potest admitti. Praeterea indicativus (*serit*) in hypothetica argumentatione non potest ferri; quod jam editores Ald. I et Bon. sensere, scribentes: *serat*. Contra, totus locus manifesto docet, hoc sibi velle poëtam: »si anima extra corpus, in quo ad mortem usque habitavit, possit adhuc existere nec dissolvi; aër ipse erit corpus, quod animam cohibebit, ipsique instrumento erit ad fungendum motibus sensilibus; aër ipse erit involucrum et tegmen (vs. 576), in quo, uti antea in corpore nunc relicto, habitabit.'' Hic autem sensus plenissime exprimitur legendo: *corpus enim atque animans erit aër.* Egregie enim Forbiger errat, putans hac ratione *animans* dici pro *anima.* Non dicitur; animans enim est corpus sensu praeditum. Dicit poëta: »aër erit corpus animae eoque ipso animans.'' Et quoniam *corpus* jam demonstravit esse sensu etiam, non minus quam *animam*, praeditum (cf. adn. ad 351-9), patet, quamnam vim in hac refutatione philosophus posuerit.

Denique lectio *animanserit* pro *animamserit*, uno calami ductu omisso, tam levis est, ut fere non conjectura sed verae lectionis restitutio sit habenda. Laus sit Lambino, acutissimo Lucretii interpreti.

3, 593. Codices: *ac toto solvi de corpore omnia membra.* Jam in archetypo vitium inhaesisse videtur, quum librarii oculi aberrassent ad finem versus 595; aut *omnia membra* pro interpretamento verborum: *toto corpore*, adscripta, ultimum vocabulum extruserunt. Hinc non est, ut, quod poëta scripsit, certo restituatur. Non potest tamen ferri lectio Forbigeri ex Wakefieldio: *mentem;* nam nominativus requiritur, ut *anima*, *vultus* etc. Videtur sane vocabulum requiri quod aut animum aut corporis materiam quandam, per totum corpus fusam, notat, cujus solutio mortis praebet signa, uti 594 languor vultus, 595 decolora membra. Si, *omnia* intruso, *membra* ortum statuas ex

corruptela ultimi vocabuli, probabiliter mihi legendum videtur: *ac toto solvi de corpore nervi*; si contra corruptionem latere putes in *omnia*, *membra* adjecto ex 595, legerim: *ac toto solvi de corpore momen* i. e. *motus*. Sed quis veritatem in re incerta divinare potuerit?

3, 631-33. Havercampius liquido affirmat Lucretium scripsisse:

At neque seorsum oculi, neque nares nec manus ipsa
Esse potest; animae neque seorsum lingua, nec auris
Auditu per se possunt sentire neque esse.

Subridere autem subit, quomodo superbiat in hac lectione, qui, *neminem editorum satis oculatum* pronuntians, ipse non viderit, se ita quinque sensuum instrumenta (oculos, nares, manus, linguam, aures), diligenter collecta, a se divellere, neque, quod majus, se facere *lingua* ablativum et tamen ultimam syllabam corripere! Sed indignamur stupidam fere arrogantiam Forbigeri, paucissimis verbis: *sine causa idonea*, Lambini acutam mentis aciem obtundere conantis (flavit et dissipati sunt!), neque omnino suspicientis se tacite versus approbare, qui, neque si cum superioribus, neque si cum sequentibus jungantur, sensum habeant. Etenim hi versus 631-33, uti Forbiger eos scribit, nihil aliud significant quam: *sensus* (potius *sensuum instrumenta*) *non possunt existere sine anima*. Ergo, his cum antecedentibus nexis, poëta dixit: *animae post mortem non possunt habere quinque sensus, quia nullus ex sensibus sine anima potest existere.* Quis non videt haec esse absurda? Imo, versu 630, post *auctas*, ponatur comma loco plenae distinctionis, et vs. 631, levissima mutatione, pro *at*, legatur *ut*, quod referendum est ad *sic* vsu 630. Hic est sensus versuum 629-33: »itaque pictores et scriptores animas mortuas, umbras, quinque sensibus instruxerunt, neque sine iis esse posse putarunt, eadem ratione atque e contrario (*sicuti*) sensus non possunt esse sine anima." Ita enim pictores ratiocinabantur: »sensus non possunt esse sine anima; ergo anima non potest esse sine sensibus." Et ita sane vulgus etiamnum ratiocinari solet.

Nisi *sic* versu 630 referatur ad 631, haec particula est otiosa propter praecedens *itaque*, quod eandem significationem involvit. Ratio cur Lucretius hanc opinionem nón refutaverit, haec est; quia eam *evidenter* absurdam esse putabat, hac in re tamen lapsus, quod *sensus ipsos* cum sensuum *instrumentis* confudit.

3, 676. Primo obtutu mirum videri possit, quod, cum veteres grammatici, Charisius et Nonius, *longiter* huic loco vindicent, in optimis codicibus et Lambini et Vossianis et Bodl., omnibus, *longius* reperiatur. Sed erroris fontem ostendit corrupta scriptura apud Nonium: *Non (ut opinor) id a lecto tam longiter rati.* Scilicet *er* in *longiter errat* fecit ut ex archetypo in hodie superstitibus antiquissimis codicibus scriberetur *longius errat* a librario, in exemplari suo legenti: *longit errat*, quod emendare voluit et metro conciliare, uti ob hanc posteriorem causam in Nonii codicibus, etsi frustra, scriptum extat: *errati.* Sed ex hac antiqua corruptione jam conjecturam facere licet de tribus Musei Brit. codicibus, in quibus recte legitur: *longiter.* Haec nempe emendatio eos manifesto arguit esse recentioris originis et profectos ab erudito homine, qui mendum ex Charisio aut Nonio correxit.

3, 620. Cum Wakefieldii lectione *pro totis artubus* ejusque explicatione me amicitiam vix et ne vix quidem inire posse confiteor; quin legendum esse suspicor *multimodis partitis artubus.* Lambini nonnulli codices, Bodl. Voss. vetus habent *per totis;* Parisiensis Lambini *par totis.*

Atque ex his vestigiis lectionem, quam propono, ita eruere posse mihi videor. In antiquissimis codicibus scriptum erat *multimodispartitis;* inde distinctio prava, *multimo dispartitis*, cujus vestigium in cod. Par. *par.* Hinc *multimo dispertitis;* porro *dis* iterum cum sensu carente *multimo* conjuncto, *multimodis pertitis;* inde *per titis*, *per totis*, quod, ut sensus aliquis afferretur, mutatum denique aut in *pro totis*, aut *de totis*, aut *in totis.* Missa autem majore minoreve probabilitate, quae huic deductioni inest, *partitis artubus* sola cum sensu concilianda lectio videtur. Demonstrat enim poëta cuique parti cujusvis cor-

poris suum esse locum (618 & 19) et pergit (620): »ita, varia ratione divisis artubus per corpus (capite v. c. superne, pedibus inferne), fieri (esse), ut nunquam praeposterus sit ordo membrorum, v. c. ut nunquam pes sit, ubi caput esse debeat et sic porro." *Partita* pro *dispertita* legitur in 710 »(anima) partita per artus."

3, 723. Persuasum mihi habeo restituendum esse: *privas in corpora*; nam, quae lectio est Vossianorum *priva si in*, orta est ex *privasin*, cujus testimonium in ed. Ver. *privasse si*. *Privas*, scilicet animas, in *corpora*, nempe vermium. *Priva* enim, uti Forbiger, Preigerum secutus, edidit, ad *corpora* tractum, primo offendit propter ultimam, brevem, producendam, quod, quamvis pluribus in locis fit, non studio videtur in Lucretio quaerendum; secundo, non agitur de privis i. e. singulis corporibus sed de privis i. e. singulis animis vermium, uti evincit 724 »cur millia multa animarum conveniant;" denique, *si* repetitum plane est otiosum, nullam habet vim, nam *et priva — credis* continent tantummodo ampliorem descriptionem eorum quae antecedunt. Itaque semicolon post *credis* 724 in comma est mutandum; constructio enim: si credis, nec reputas (et si non reputas): hoc tamen —.

Ceterum comici quid habet haecce dissertatiuncula de animulis vagulis, blandulis vermiculorum, neque, ni justo propius accedas atque in re per se putida microscopum analyseos adhibeas, insuavis menti accidit contemplatio animalculorum, almae naturae lege, vivo spiritu donatorum.

3, 733. Minime vera est Lambini emendationis *adfine* reprehensio, quam Forbiger »idoneo sensu destitutam" satis audacter proscribit. Satis esset ad perspicuam plenamque Lambini annotationem provocare, nisi, quum et ipse Forbiger nihilominus erraverit, metuendum esset, ne etiam alii lectores aut Lambini disputationem negligerent, aut, licet non sit probabile, improbarent. Hanc ob rem brevibus Lambino suum sibi debitum honorem restituere libet. Vossiani quidem referunt: *et fine*, sed Lambini codices, ipso testante, exhibebant *ac fine*, unus Bertinianus *at fine*. Hinc jam patet *adfine* non minus codicum auctoritate niti,

quam *et fine.* Sed *sensu* praestat *adfine. Finis* nempe mortem significaret, uti ipse Forbiger putat, afferens multa hujus usus exempla; sed, praeter quod *finis*, nude positum, sine ulla aut ex antecedentibus aut ex subsequentibus suppeditanda determinatione mortis, graviter offendit, nullus est morti locus. Sermo est de incommodis et malis, quibus corpus, magis quam animus, est subjectum (733 & 34); mors vero neque malum est Epicureo, uti morbus, algor, fames, neque magis corpus sibi habet subjectum, quam animum, in quo probando medius versatur poëta hoc ipso in loco, ubi, demonstrando vermes nasci ex residuis animi post mortem, probare sibi videtur animum, utpote divisibilem, esse mortalem.

Affine contra aptissime se habet. *Corpus affine vitiis* est particeps vitiorum, pronum ad vitia, uti Terent. Heaut. 2, 1, 3: »earum rerum affines, quas fert adolescentia.” Sic Cicero saepius: »affinis facinori et turpitudini.” Livius: »noxae affinis.” Illud autem *vitiis adfine laborat* dictum, uti 1, 344 »motu privata carerent.” Exempla ipsa Lambini adduco. His perpensis judicet aequus lector.

3, 738. *Cum* omnem pervertit sensum; nam hicce versus ex scriptura Forbigeri significaret: »nec tamen aliqua ratione fieri potest, ut animae cum perfectis corporibus insinuentur cadaveri.” Nullus vero est in toto hoc loco (722–40) sermo de ratione qua vermes insinuentur *cadaveri*, sed totus versatur in disquisitione, utrum, si vermes non ex residuis animi partibus animas vitamque accipere assumas sed aliunde, hae animae ipsae sibi conquirant semina, unde corpora vermium oriantur; an vero hae animae intrent corpora, jam perfecta, huc usque anima vitaque carentia. Eodem jure quo hic, versu 729 *cum* scribendum fuisset, ubi Wakefield *quasi* habet, Forbiger tacite Lambinianum *jam* recepit. Utroque loco *jam* restituendum esse patet. Videamus codicum scripturas. Lambini codices, Faern. et Tettian. *nec tamen est ut qui eam;* Vaticanus: *nec tamen ut qui eam;* Bertinianus: *nec tamen ut qui cum*, conveniens cum Vossianis, ad quos, ex Lambini codicibus, proxime omnium accedit. Has varias scripturas ita ortas esse puto.

Archetypus habebat: *nec tamen est qui iam;* inde Vossianorum et Bertiniani *qui cum;* Vaticani, Faern., Tettian. *qui eam.* *Est* in *ut* depravatum, ut regeret subjunctivum *insinuentur*, et denuo, ante *ut*, in Faern. et Tettian. *est* illatum ad sensum fulciendum. Ita et 729 ex *iam* profectum est *cam* et *cum;* ex *cum*, *quum;* hinc *quam;* hinc *quasi.*

Quam prudenter Lambinus egerit in codicibus adhibendis veraque lectione inde eruenda probent haec a Lambino, ad hunc locum annotata, quae animus adscribere jubet contra obtrectatorum Lambini accusationes: »Primum," inquit, »antiquorum librorum scripturas oculis lectorum subjicio: deinde ex iis scripturis unam elicio, quae et ad illas proxime accedat, et elocutionem Lucretianam oleat, et, quod caput est, sententiam cum iis et quae antecedunt, et quae sequuntur, consentaneam exprimat." Unum tantummodo ex officiis interpretis praetermisit, nempe accuratam cujusque codicis originis auctoritatisque inquisitionem, quod vitium tamen magis ejus temporibus, quam ipsi adhaeret, neque in ejus de Lucretio studiis magnum intulit damnum, quum codices, quos adhibuerit, ejusdem fere fuerint praestantiae auctoritatisque. An vero posteriores, usque ad Madvigium, melius Lambino egerint, ipsi viderint.

3, 776. Omnes codices, si Forbigero fides, exhibent: *jam mortali;* certo codex Bertinianus et Vossianus vetus; sed uti antiquitus legebatur: *sunt immortali*, restituendum videtur. Nonnisi particula expletiva esset *jam*, quod ortum est ex *im*, avulso a *mortali.* Contra supra vidimus *jam* abiisse in *cum*, *quam*, *quasi.* Omnes illae lacrymae ex compendiosa archetypi scripturâ.

3, 790. Eodem jure, quo versu 676, pro *longius* videtur mihi legendum: *longiter*, quod jam Lambinus nonnullos doctos legere memorat. Comparativus enim hîc multo minus etiam convenit, quam versu 676, quin ferri non potest. *Longius* est *nimis longe*, *valde longe*, sed poëta ne abesse quidem omnino a venis et sanguine animam vult significare. Ita et legendum 5, 134. In vs. 791 negligenter Forbiger *possit* pro *posset*, quod tacite scripsit vir

doctus Weil in Diariis Antiq. 1847, sect. 4 et recurrit 5, 135.

3, 800. Delendum est *in*, ortum ex *m* antecedenti; non enim *in toto corpore* distracta est anima i. e. in quavis parte corporis dilacerata, sed *corpore toto* distracta est i. e. per totum corpus. Causa enim, cur distracta sit, est haec: quoniam per omne corpus diffusa est. Hanc vim ablativi locativo fungentis librarii non senserunt, et *in* adjiciendum crediderunt. Sic etiam supra vs. 352 »permixtam corpore toto."

3, 806. Certo certius est huncce versum esse delendum; in Vossiano veteri non apparet, in altero Vossiano rubrica notatus est. Quomodo *quid enim divorsius — magis inter se disjunctum discrepitansque* dici posse quis putaret pro: *quid absurdius est*? Patet poëtam haec dicere: quid magis diversum, disjunctum, discrepitans est, quam, mortale quod est, differt, disjunctum est, discrepat ab eo quod immortale est. Ergo *immortali perenni* sunt dativi subintellecto *disjunctum est* aut alio quopiam simili. Uti enim dicitur *simile alicui rei*, ita et *dissimile alicui rei*, uti *junctum alicui rei*, ita *disjunctum alicui rei* etc. Quod quum librârii non ceperunt, hunc versum subjecerunt ut sensus quidam, ipsis judicibus deficiens, his versibus daretur; sed frustra. Non mirum hac in re librarium in versu ficto scripsisse *salvas procellas* i. e. ex quibus incolumis animus evadit, ita se profunditatem Lucretianam assequi posse putantem.

3, 851. Non tantum Lugd. 2, sed etiam libro manusc. Lambini *e sumus*.

3, 855. Jam Lambinus recte hunc locum explicuit (melius quam Creech).

3, 857. Non tantum Lugd. 1 sed et aliquot libri manusc. Lambini *coetu* pro *comtu*. Nihil hic de comtu, ornatu, apparatu, instrumento, uti Forbiger explicat; quid enim sibi vult *comtus corporis atque animae?*

3, 876–78. Uti Forbiger edidit, scriptum quidem reperitur in utroque Lugdunensi sed, totius loci nexu iterum iterumque perpenso, vix mihi dubium restat, quin corruptela alicubi lateat.

Jam Havercampius sensit scrupulum, rogans: »credasne id voluisse Carum: quoniam mors id eximit et prohibet illum esse antea fuisse, cui possint?" etc. Haec structura aperte est absurda, sed duae aliae restant, quarum tamen neutra sufficit. Construere possis: »prohibet esse, illum antea fuisse, cui possint" etc. i. e. quoniam mors eximit et prohibet id esse, scilicet, eum cui possint — antea fuisse. Per synchysin, licet durius, etiam hac ratione verba jungas: »quoniam mors eximit id esse et prohibet illum antea fuisse, cui possint" etc. uti apud Horatium: »namque pila lippis inimicum et ludere crudis;" apud Tibullum: »Messalam terrâ dum sequiturque mari." In utravis autem structura unam tantum video rationem, qua ex scripturâ codicum, idoneus quispiam sensus elici possit, posita scilicet interpunctione post *conciliari*, hoc sensu: illum (sive construas, prohibet esse illum, sive ita: id esse et prohibet illum), cui incommoda possint conciliari, antea fuisse haec eadem (ex iisdem elementis compositum) e quibus nunc nos sumus. Probabilis quidem sensus, sed displicet tamen in hac loci interpretatione illud *nos*, quum de tertio quodam poëta loquatur.

Uti vero Forbiger et Wakefieldius construunt, nempe: incommoda haec eadem, e quibus nos nunc sumus;" istuc *e quibus nunc nos sumus*, i. e. e quibus incommodis nunc nos sumus!! utpote prorsus ineptum, recte a Lambino Creechio, aliis, explosum est. Qui ita construit, necessario debet amplecti conjecturam Lambini: *in quibus et nunc nos sumus* (*et* ex aliquot libris mstis Lambini, *in* repetitum ex antecedenti litera *m*). Etiam hac in conjectura Lambinus ostendit eam se viam tenere, quam se tenere velle, professus erat; vide ipsius verba allata ad vs. 738.

His expositis superest, ut iis, quibus nulla harum explicationum sufficiat, probabiliorem interpretationis viam monstremus; eamque nobis invenisse videmur emendando, pro *nos sumus*, (nossumus) *noscimus*. Hac ratione omnis difficultas sublata esse videtur.

Structura est: quoniam mors id eximit et prohibet illum esse, cui incommoda haec eadem, ex quibus nunc nos-

cimus (illum) antea fuisse, possint conciliari. Sensus hic: quoniam mors eximit id, et prohibet quominus ille, cui haec eadem incommoda possint conciliari, ex quibus nunc nos scire opinamur illum antea fuisse, revera fuerit.

Aut haec structura: quoniam mors id eximit et prohibet illum, cui incommoda possint conciliari, esse eadem haec (ex iisdem elementis compositum) e quibus nunc opinamur eum antea fuisse.

Etenim ambiguitatem, utrum *haec eadem* ad *incommoda* referendum sit necne, hac emendatione non tolli confiteor, sed ratio priorem structuram sequi suadet.

3, 884. Non dubitare debuisset Forbiger de *putrescat;* cf. quae adnot. ad 2,872.

3,896. Mira est interpretatio Lambini, quem quamvis contemnat, sequitur tamen (o lepidum caput!) Wakefieldius: » et corpus exsangue et inanimum et sensus expers, sensu contaminat, se adstantem faciens," et quae seqq. Sed patet ad *contaminat* non esse referendum *corpus*, sed, quod proxime antecedit, *se.* Nempe fingit se esse corpus illud jacens et adstans contaminat se sensu suo i. e. opinione sua, quam sibi fingit. Quisque enim μίασμα sibi contrahit ex opinionibus veterum, qui tangit cadaver; quod ille facit, licet opinione, non re ipsa, qui se confundit cum suo mortuo corpore. *Sensus* hic est illa prava persuasio se unum eundemque esse cum corpore projecto. Sed satis jam de loco plano.

3, 900. Libri manuscripti Lambini videntur habuisse *nec lacerari*, sed *se* requiri patet ex parallelismo cum versu superiore *se lugere* et numerorum constructione:

Qui possit vivus sibi I se lugere peremtum
Stansque, jacentem I se lacerari urive, dolore.

3, 906. Non video idoneam causam, cur scriptura utriusque Vossiani (cui et accedit Bodl. exhibens: *obruptum*) *obrutum* posthabeatur vulgatae *obtritum*, quod ne recte quidem dicitur de corpore, quod pondere terrae i. e. magno tumulo (non leviter, injecto ter pulvere) tectum est.

Obrutum convenit descriptioni Virgilii Aen. 6,232: »ingenti mole sepulcrum imponit."

3, 917. Male recepit Forbiger conjecturam Pii *lecto*, quam jam Lambinus reprehendit, prae scriptura codicum *leto.* Nam si *lecto* legas, *lecto sopitus* dictum esset de aegroto, qui in lecto suo placidam mortem obiret; sed *sopitus*, nude positum, vix significare potest *placide mortuus;* recte, opposito *leto.* Sequens versus non tantum suspectus est propter suam absentiam in Voss. veteri et rubricam in altero Vossiano, atque quoniam, Wakefieldio observante, *aegris* displicet, sed maxime, quia per *aevi quod superest* significatur *aeternitatis quod superest*, quod ineptum. Ex aeternitate enim quid superesse potest, cum omnia compleat?

Deleatur iste versus; neque *aevi* (licet lubenter legerem *aevum* i. e. per aeternitatem) explicatione caret, nempe: *aevi leto* i. e. *morte aeterna.*

3, 948. Vehementer displicet lectio a Forbigero recepta: *nam gratum fuerit tibi* etc. Ne permittit quidem grammatica *fuerit;* nam praeterita indicativi *perfluxere*, *interiere* vs. 950, per copulam *et* cum *fuerit* conjuncta, manifesto aut praesens aut perfectum indicativi postulant, ut praecedat. Si *fuerit*, ut respondeat hypotheticae particulae *sin* vs. 953, accipias pro *si fuit*, necessario *perfluxerint*, *interierint* scribenda sunt. Praeterea omnes bonae notae codices habent *gratis fuit*, unde recte Preigerus vidit scribendum esse *gratis fuvit* (mala fide aut negligenter dicit Forbiger eum *fuvat* conjicere). Operae pretium est elegantem hujus legere disputationem in quâ inter plura recte monuit ingratum esse illud *grata* (lectio Preigeri tempore vulgata) ab 950 *ingrata. Fuvit* est praeteritum ab antiquo verbo *fuvo fuvi* pro *fuo*, *fui*, quod lippis tonsoribusque notum. Optime sic sensus etiam se habet et argumentum Lucretio restituitur non minimi pretii; absurdum enim et ingratum est reprehendere beneficium, quod gratis quis accepit, et ex cujus fructu plura ipsi supersunt commoda (949 & 50). Argumentum, quod neglectum, vel nostro tempore maxi-

me, multorum errorum injustarumque querclarum hominibus fons est.

3, 956. Non fero istud: *finem vitae jacere. Jacere*, uti pluries, pro *projicere;* sed potius exspectet quis verbum quod exprimeret contrarie oppositam notionem, nempe sensum optandi, flagitandi, petendi, minime vero projiciendi, derelinquendi. Suspicor levissima mutatione legendum esse: *vitae funem jacis atque laboris*, et *funem* dictum esse pro *funali*, *lampade*, eâdemque metaphora hic uti Lucretium atque suprâ: *vitai lampada tradunt*, notâ ex notissimo Platonis in republica loco de lampadophoriis. *Funem* pro *funali* poni neminem offendet, qui comparet locum Varronis de vita pop. Rom. »facibus aut candela simplici aut ex *funicula* facta, cera vestita, quibus ea figebant, appellarunt funalia;" adde Vossium in etymol. Non nego equidem *funem* hic etiam proprio sensu posse accipi pro fune, quo vitae alligati sumus, quod tractum a jumentis, quae laxato fune libere vagantur, uti apud Persium 5,118: »quae dederam supra repeto funemque reduco;" sed prius praestare mihi videtur.

3, 991. Si quis Forbigeri acumen admirari volet, legat ejus annotationem. Restituatur omnino ex codicibus: *atque ea nimirum.*

3, 1000-04. Mutanda est interpunctio, et distinctio plena ponenda post *exstet* vs. 1000; sequentia jungenda et comma potius ponendum post *orbem* vs. 1002.

3, 907. Aut *nam* more Graecorum positum est, quorum γάρ saepe respondet illis quae praetermissa sunt sed subintelligenda (quo assumto, conjicere fere licet, haecce desumpta esse ex Graeco quodam poëmate, nobis non superstite); aut, ex Vind. et Lugduuensis primi scriptura *amiam*, scribendum *jamjam* i. e. instat tempus quum etc.

3, 979. Minime dubitandum est utrum recte sese habeat *deditur*. Requiritur hic omnino illa notio, quae inest verbo *dedere*. Solemne enim est verbum in poenarum exactione, uti patet ex dedititiis, qui se suaque, divina et humana, tradiderunt, ex noxae deditis, nempe servis, qui

ad poenam luendam a domino traduntur illi, cui a servis damnum quoddam est illatum; ex solemnibus dictis: se dedere cupiditatibus, voluptatibus, quippe quae acerbae crudelesque sint dominae subditiliorum: et sic porro. Se dedit, qui, coactus, manibus pedibusque vinctis, in arbitrium alterius se tradit; se dat, qui, libere, sponte sua, confidenter, se tradit.

3, 1014. In Vossianis pluribusque ceteris deëst *a*; quod quomodo exciderit, nisi ob exiguitatem, difficile dictu. Longe probabilius est excidisse *in*, propter *en* in *tamen*, quod praecedit, praetermissum, atque haec emendatio et sensu loci et versibus Homeri Odyss. λ, 596 & 7 comparatis confirmatur. Nempe Sisyphus non sibi propositum habebat, ut saxum in summo montis vertice sisteret sed ut, culmine montis superato, ab opposita parte in planitiem devolveret. Haec est igitur gravitas poenae deceptionisque amaritudo, quod, quum jam summo labore miser ad verticem usque volverit saxum, quin in vertice stiterit, ita ut in eo esset, ut saxum minimo quodam impulsu, sine ullo fere labore, gravitatis vi actum, ab altera parte montis devolveretur et sua ipsius vi lapis opus Sisyphi (ut montem trajiceret) impleret, quod, inquam, in eo ipso momento recurrit saxum: ita omnis effusus labor. Hoc et Homerus sibi voluit dicendo: *ἀλλ᾽ ὅτε μέλλοι ἄκρον ὑπερβαλέειν, τότ᾽ ἀποστρέψασκε κραταιΐς αὖτις.* Sed quum in eo esset, ut jam trajiceret montem summum, tunc moles rursus recurrebat.

Ita versus distinguendus:

saxum, quod tamen, in summo jam vertice, rursum.

Patet enim paullisper subsistendum esse in his: *in summo jam vertice.* Ceterum supervacaneum fere videtur monere, quam apte, quam egregie Lucretius etiam sonorum externa imitatione pulcherrimos illos Homeri versus in Latinam verterit linguam, ita ut et pedum varietas et verborum singulorum sonus, totiusque loci externus ordo perfecte respondeant imagini laborantis Sisyphi, recurrentis saxi!

3, 1070–72. Distinctio vulgata omnino mutanda est, sive cum antiquioribus editoribus plenam posueris distinctionem post *videmus* vs. 1070, sive cum Wakefieldio et Forbigero ibidem duo puncta (:). Etenim prior distinctio prorsus absurda est, infinita oratione *nescire*, *quaerere*, *commutare* nude posita, quum manifesto ipsa pendeat ab antecedentibus; ex posteriori autem interpunctione concludas versus 1071 & 2 pendere ab *ita vitam agerent*, hac ratione: *ita ut nesciant — quaerant*, — *commutent*, quod falsum; nam necessario scribendum foret *velint* (1071) *possint* (1072), nisi subjectum verbi *possit* arcessere velis ex *locum*, quod durum. Praeterea, hoc facto, *quisque* referendum esset ad tertium, alium quam qui nescit, quod aperte perversum, praecipue si compares verba similia Ennii apud A. Gell. 19,10 »otioso initio animus nescit, quid velit" scil. ipse animus.

Sed *nescire*, *quaerere*, *commutare* pendent a *videmus* (1070), hoc sensu: videmus quemque nescire, quid sibi velit, et tamen semper quaerere, quemque commutare locum, quasi loco commutato possit onus deponere (Horatii imitatio: »coelum non animum mutant, qui trans mare currunt"). Ergo comma ponatur post *videmus*.

Non tamen est ut taceam mihi arridere hanc versuum posteriorum lectionem, puncto post *videmus* posito: »Quid sibi quisque velit, nesciret (codices: nescire et) quaerere semper".

Nesciret quaerere i. e. non quaereret, uti Horatius: »cedere nescius", qui non cedit; ad Pison. 390: »nescit vox missa reverti."

Tunc versum 1072 jungere velim sequentibus, hoc sensu: quasi commutatio loci (commutare locum, infinita oratio pro subjecto definito) possit deponere onus, exit saepe etc. sed cuique liberum hac de re judicium relinquo; vulgata habet, quo se defendat. Ingratum tamen asyndeton, quod in vulgata adest, *nescire et quaerere*, *commutare* ita tollatur.

3, 1084. Videtur mihi legendum *queisque* i. e. omnibus, quaecunque sunt; loquitur enim poëta de eo,

qui naturae contemplatione est curandus, non de omnibus.

3, 1088. Nullum sensum praebet *manendo;* nam quid hoc est, *in quo manendo?* Si autem construas: *manendo in quo*, et explices: in quo quum morandum sit; duro durius *in quo* et *manendo* tam longe separantur. Invitis codicibus legendum est aut *manendo* cum Lambino aliisque, aut, quod mihi placet, *manendam:* i. e. post mortem, quae manenda est, quantacunque tibi aetas restare possit, quamvis vivendo cornicem vincas. Trita dictio *manet mors*. vs. 1104 » mors — manebit."

EXPOSITIO CICERONIS AD QUINTUM FRATREM, II, 11:

Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt: non multis luminibus ingenii, multae tamen artis.

Quos Lucretii amatores infelix haec sententia nefasto die a Cicerone scripta in poëtae perniciem opprobriumque aestimatoris non offendit! Inde ab audacibus Manutii, Gruteri, Lambini emendationibus usque ad probabilem Ernestii conjecturam pejoremque codicum lectionis tutelam Wakefieldii, nemo fere hunc locum tetigit quin, Lucretii misertus, varia ratione leniorem sententiam hisce e verbis elicere conatus sit, neque ego furore critico intactus mansi, quamvis verear ne emendatione mea rem Lucretii prorsus pessumdare et praevaricator haberi videar.

Quum in omnibus codicibus reperiatur: »L. p. u. s. i. sunt; multis luminibus ingenii, multae tamen artis;" Ernesti, ante *multis*, *non* inseruit, uti dehinc vulgo editum est. Sed puto Ciceronem scripsisse: *L. p. u. s. i. sunt: nullis luminibus ingenii, multae tamen artis.*

En rationes meas. Ex ipso loco patet Quintum fratrem de Lucretii carminibus, forte vix editis, ad Marcum scripsisse et criticum ingenium iis aestimandis acuisse.

Et qualis erat ille Quintus? Dux fortis atque peritus a Caesare dilectus, liberaliter institutus, non in disciplinis severis et philosophicis versatus, sed pulcrarum artium studiosus, Sophocleus homo, deliciis literarum Graecarum deditus, atque, uti hoc genus hominum esse solet, mobilis in-

genio, aliis non sibi imperitare doctus, acer et iracundus, imo furiosus saepe, teste Marco, et, quo acriorem bilem sibi pararet, ipse poëta, tragoediarum comoediarumque scriptor, sed, eheu! infelici successu, si talem sententiam famosam ferre liceat ex *dictis*, maxime vero ex *silentio* fratris, ceteroquin haud parci in laudibus amicorum literariis celebrandis, praesertim non oratorum — videatur passim. Ex umbra hac characterismi quis non videt, qualem judicem Lucretius, toto coelo diversus, eum esset habiturus, poëta vel ob novitatem celeber manibusque tritus, poëtam neglectum! Condemnatus erat Lucretius, neque in integrum restituendus, si Aequitas ipsa e coelo descendisset atque eloquentissimi Romanorum ore causam dixisset. Ex his ergo suspicor tale quid a Quinto ad Marcum scriptum fuisse: » ecquid legisti, quae nuper prodierunt, Lucretii poëmata? Non multum istis inesse puto, quod poëtam olet; pedestris est oratio; arida, quam tractat, materia; aridior ipsa tractandi ratio; nulla venus nisi Deae nomen saepius repetitum; merae Epicurearum nugarum umbrae, *nullis luminibus* distinctae, nulla luce variatae, quam tamen suis adhibere solent picturis vel mediocres pictores" etc. Et nunc, cogita Ciceronem judicium fratris legentem; cogita ejus naturam, pacis amantem, fratris iracundiam verentem, cujus acerbos fructus multis cum querelis suis multos jam perceperat; his adde ipsorum carminum rationem, in ingrata saepe materia versantium, poëtico fervori reluctante; alienam Tullii ab Epicuro mentem, qua ipsum Epicurum injuste judicarat; animadverte haec omnia tamen non eo usque valere potuisse, quominus, quamvis Quinto concedens, *multae* esse *artis poemata* pronuntiaret; — haec perpende, et Lucretius non habebit quod aegre ferat nec nos, quod veritate invita violentis conjecturis infectum facere velimus.

Denique omnino probe tenendum est, quid Cicero per *lumina ingenii* intellexerit.

Lumina ingenii Cicero dixisse videtur de ornamentis poëtici ingenii, episodiis, poëticis descriptionibus, translate ex rhetorica in qua, ut verbis Tullii utar, » verborum et

sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci σχήματα, quibus, tanquam insignibus in ornatu, distinguitur omnis oratio."

Cavendum enim ne ex vulgari nostri temporis videndi ratione Ciceronem his verbis omnem poëticam facultatem Lucretio denegasse putemus. Miram eam, quin ètiam stultam absurdamque opinionem de genio poëtico, sec. quam poëta sine studio et labore, quasi Minerva armata ex Jovis capite, exsurgere ingeniumque ostendere possit, antiqui prudentes ignorabant, quippe qui naturam ducem sequentes, omne, quod magnum, pulcrum, bonum esset, non nisi maximo labore pari posse intelligerent.

Sic satis laudis continent illa verba: *multae esse artis poëmata Lucretii;* nec poëtae nomine indignus habebatur veteribus ille, qui Graecorum v. g. poetas Latine exprimeret, modo non servili ratione, sed apte in rem suam haec verteret, uti Virgilius, ex Arato, Callimacho, aliis plurima mutuatus sine ullo vituperii metu, sat superque probat.

Haec postquam jam scripto mandavi, elegantem legi atque relegi viri docti Siebelis, bene de Lucretio meriti, disputationem, quâ viri cl. Bergkii conjecturam, ante *multae tamen artis*, *non* inserentis improbat et refutat; quâcum unâ elegans ceteroquin conjectura viri docti Weil, *incultae tamen artis*, corruit. Diar. Antiq. 1847, sect. 4.

Licet autem lubenter in arte Lucretio vindicanda Viro docto assentiar, non aeque tamen mihi probavit lectionem codicum, quam defendit cum Wakefieldio. Unice quidem vera mihi videtur illa, quam profert, interpunctio: *Lucretii poëmata*, *ut scribis*, *ita sunt: multis luminibus ingenii; multae tamen artis;* sed nulla interpunctio valet oppositionem, quae propter *tamen* necessario requiritur, apponere verbis: *multis luminibus ingenii*, ubi nulla revera inest. Si hoc Cicero voluisset, omnino post *tamen* addidisset *etiam*, *praeterea* vel simile quid, praesertim in negligentiori abundantiorique epistolarum oratione. Persisto

igitur in lectione Ernestiana, *non multis luminibus ingenii*, aut, quod *et* simplicius *et* fratri iracundo, poëtae contemto, cuius judicio assentatur timidus Cicero, magis consentaneum videtur, scribendum: *nullis luminibus ingenii*; quam emendationem, quo magis examino, eo veriorem habeo. Etenim, ut brevi iterum contraham: Cicero erat inimicus Epicureae philosophiae; agendi cogitandique ratione toto coelo a Lucretio discrepans; nullam cum eo rationem habebat, quae scilicet probari possit: Hieronymi enim narrationem, cum Bergkio contra Siebelium, fabulam puram putam esse puto, maxime propter argumentum a silentio, quod, si usquam, hic habet auctoritatem, Cicerone quippe nusquam alibi, neque in philosophicis quidem ubi Epicuri philosophiam exagitat, verbo Lucretium memorante. Deinde, quamvis quis nolit, uti feci, illa verba *lumina ingenii* premere, in pluribus tamen episodiis, quae poema distinguunt et illustrant, majorem artis in Graecis vertendis quam ingenii inventionisque laudem probavit Lucretius; sic v. c. pulcherrima illa descriptio sacrificii Iphigeniae in libro primo, non est dubium, quin desumta sit ex poëta cyclico, hodie deperdito, quod patet, si comparas Aeschyli Agamemnonem vs. 218—246, ubi eadem *lyrice* referuntur, quae Lucretius *epice*, ipsum poëtam epicum pone forsan sequens, expressit; sic descriptio pestis ad singula fere verba ex Thucydide est translata, plura. Denique, si, ut patet, Ciceronis verba continent responsum ad judicium Quinti de Lucretio, nihil fere magis mihi habeo persuasum quam illud judicium, Quinto accommodate, fuisse severum, acerbum, cui quum timidus, fratrisque iracundiae reverens Cicero subscriberet, aequus ipsius animus tamen non cessaverit, donec, μειλίγματα, addidisset: *multae tamen artis*.

THESES.

I.

Non ex intellectu notiones sed intellectus ex notionibus explicatur.

II.

Philosophia neque tollit neque probat religionis objecta.

III.

Est quidem philosophia de religione sed materiam ex ipsa religione petit; qua igitur rejectâ, objectum illius perit.

IV.

Philosophiae Stoicae atque Epicureae idem est propositum.

V.

Principia moralia non nituntur religione, sed hujus sunt firmissima fulcra.

VI.

Aristotelico-scholastica logica non docet artem cogitandi sed potius artem non-cogitandi.

VII.

Verba 12 *tabularum:* »*partes secanto*" *cum Gellio sunt intelligenda de partiendo corpore addicti creditoribus hominis.*

VIII.

Nullum est historiae Romanorum antiquissimae studium sine Juris Romani cognitione.

IX.

Methodus interpretandi et explicandi juris, quam nobis exhibent veterum Ictorum Romanorum scripta, una omnium, unice valet ad ideam *juris in vitae necessitudinibus exprimendam; unde vere Ulpianus praedicat:* »*se veram non simulatam affectare philosophiam.*"

X.

Qui in linguarum veterum etymologia, grammaticis formis legibusque indagandis versaturus est, linguae Sanscriticae notitiam sibi comparet.

XI.

Linguae vernaculae grammaticum studium melius in gymnasiis omittetur.

XII.

In universa juventutis a teneris inde educatione atque institutione magis animi quam mentis rationisque cultus promoveatur.

XIII.

Versus 405 & 6 *Soph. Ajacis, frustra dum tentati, sic legantur:*

εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι,
τοῖς δ᾽ ὁμοῦ πέρας.

XIV.

In Aeschyl. Agam. vs. 239 *verba:*

κρόκου βαφὰς δ᾽ ἐς πέδον χέουσα,

intelligenda sunt de vestis, croco tinctae, demissione.

XV.

Omnino, vel invitis interpretibus, retinenda lectio codicum: ἀναμπλάκητος, *in Aesch. Ag. vs.* 345.

XVI.

Non nisi in rebus divinis, ibi vero prorsus, haec est summa hominum sapientia: scire se nescire.

XVII.

Diligens Rerum Naturae investigatio non tantum non nocet sed et favet sensui pulcri.

XVIII.

Ἐκ ψυχῆς ἀρχώμεθα καὶ εἰς Θεὸν λήγωμεν φιλοσοφεῖν.
